ferunt, & cognoſcere nolunt, quid debeant, ne ſatisfacere teneantur. O cæcitatem voluntariam; o ignorantiam adfectatam: *Noluit intelligere, ut bene ageret*. *Idem P. Bourdalove*.

Ex omnibus peccatis nullum magis oppoſitum eſt ſaluti, quam hæc cæcitas voluntaria; hæc enim proprie peccatum eſt, quod gratiarum omnium principem nobis aufert, videlicet cognitionem. Oportet autem, Deum, ut nos ſalvos faciat, inde incipere, in quo tamen Deus, licet Deus ſit, ordini naturæ ſeſe conformare tenetur: quandoquidem ſicut in ordine naturæ agere non poſſumus, quin cognoſcamus; ſimiliter in ordine gratiæ Deus ſalutem noſtram operari non poteſt, niſi illius nobis voluntatem immiſerit, neque voluntatem poteſt immittere, niſi cognitionem tribuerit! Quid ergo facimus, cum huic cognitioni reſiſtimus? Renuimus operari ſalutem noſtram, & primum hoc lumen fugientes aliis abrenunciamus gratiis, quę nos ſalvos facere poſſunt. *Idem*.

Illi, qui in adfectata, aut vincibili verſantur ignorantia earum rerum, quæ ad ſalutem ſuam pertinent, coram Deo inexcuſabiles ſunt; agunt enim vel contra lumina ſua, vel contra ſuas dubitationes. Deus autem hujuſmodi excuſationes non patitur. Si aliquod hujus ſæculi negotium ageretur, tibi non deeſſet lumen: deeſt tibi lumen tantummodo pro tuæ ſalutis negotio. Verum quamvis minime ageres contra propria lumina, ageres ſaltem contra dubitationes tuas; & quamquam non aliud haberes lumen, quam ipſam dubitationem, incertum hoc lumen ſatis eſſet, ut peccatum admitteres. Hoc tecum diligentius reputa: ſtatim ac dubito, utrum aliquid peccatum ſit necne; & illud nihilominus ago, jam pecco. Ambigo, utrum res illa mea ſit, necne; eam tamen arripio; jam furti nomine damnor. *Idem*.

Quomodo Deus peccatorem excæcat, & quomodo hoc ſit intelligendum.

Achab impius eſt, Deus inquit, illum excæcare volo, & fallere; volo etiam ut illum ſui Prophetæ excæcent, & fallant: *Dominus dedit ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum*. 2. Paralip. 18. Nonne diceres; ergo Deus eſt, qui poſitiva actione illum excæcat? nequaquam, inquit S. Auguſtinus; Deus, qui ipſa veritas eſt, fallere non poteſt, & ſi quem excæcat, hoc quadam permiſſionis ſpecie, non ulla actione peragit; patitur enim nos falli, non nobis errorem inſpirat: ſi enim Deus poſitive peccatorem excæcaret, calamitoſus hic in eo ſtatu legem adimplere non poſſet, & hæc illi impoſſibilis fieret. Quid facit ergo Deus, cum nos excæcat? nihil facit, & Deo nihil faciente in cæcitatem decidimus. Nos flagitiis, ſceleribuſque noſtris implicitos videt, & nobis quædam ſummovet lumina, quorum ope ſalutem noſtram fuiſſemus operati: lumina pretioſa, lumina, quæ ſuis electis ille concedit, lumina, quæ nobis res omnes, quales revera ſunt, oſtenderent, lumina penetrantia, quæ mundi vanitatem, ſpei ejuſdem fallaciam, & promiſſionum illius verſutiam detegerent, lumina, quæ ad nos accedentia cor ab hujus mundi affectione divellerent. Hæc autem nobis lumina ſubmovet Deus, cum irritatus eſt contra nos, & hæc illa ſunt, quæ præſentia vel abſentia ſua noſtram cognitionem, vel cæcitatem efficiunt: & hinc accidit, quod cum illa nobis ſublata fuere, Deus ſæviſſima pœna in nos animadvertat. *Idem*.

Alię quæcumque pœnæ, quibus Deus non affligit, vel punit præter hanc, nihil habent non utile nobis; cum enim videtur Deus a nobis recedere ſuæ in nos Juſtitiæ tela depromens, tunc nos recipit per miſericordiam, atque ſua ad nos accedit clementia; ibique quædam eſt Juſtitiæ & miſericordię commixtio, cum cæcitas meræ ſit effectus juſtitię: *judicium ſine miſericordia*. Cum me affligit Deus, cum me calamitatibus percutit, cum ægritudines immittit, vel hujus mundi divitias aufert, mihi non deeſt, quo mea mala conſoler; ſed cum me excæcat, hic merus eſt Divinæ Juſtitiæ effectus, & me eo punit ſupplicio, quod pœnas damnatorum quodam modo imitatur. Qua enim in re reproborum pœna conſiſtit? in hoc ſane quod quo magis torquentur, eo ſunt pertinaciores. Hæc non amplius eſt mera temporalis pœna, immo æterna vocari poteſt; quę incipit quidem, ſed quæ numquam eſt deſitura; morte, quæ reliquis finem imponit, hanc tantummodo immutante. Sicuti enim beatus de lumine tranſit in lumen, de claritate in claritatem, de lumine gratiæ in gloriæ lumen: ita reprobus de cæcitate tranſit in cæcitatem, de tenebris peccati ad inferni tenebras, quamquam jure dici queat, cæcitatem non aliud eſſe, quam infernum inchoatum, quemadmodum infernus non aliud eſt, quam cæcitas continuata. *Idem*.

Peccatorum cæcitas.

Peccatores omnes mere ſunt cæci, cæcitas enim eſt pœna peccati, juxta illa Sophoniæ verba; *ambulabunt, ut cæci, quia Domino peccaverunt*: Sophon. 1. non vident vel inferni flammas, vel gloriam Paradiſi, vel peccati turpitudinem, vel pulchritudinem virtutis. Sed magis adhuc ſunt cæci, quam cæcus Evangelicus: hic enim cognoſcit cæcitatem ſuam, & nihil intentatum relinquit, ut aciem oculorum acquirat, ſed peccatores plerique, ſe oculorum acie pollere putant, & ſuam ægritudinem amant; tantum abeſt, ut curationem inquirant. *Si cæci eſſetis*, reſpondit Joann. 9. JESUS CHRISTUS Phariſæis, *non haberetis peccatum*: hoc eſt ſi veſtram cognoſceretis cæcitatem, vere eſſetis illuminati; quippe ad medicum confugeretis: *nunc vero dicitis, quia videmus, peccatum veſtrum manet*. Quaſi illis dixiſſet JESUS: quia vos perſpicue videre putatis, nullam cæcitati veſtræ medicinam quæritis, quæ ideo numquam curabitur. Nonne pleriſque peccatoribus accidit, qui ſecundum Iſaiam Prophetam, bonum, malum, & malum bonum appellant? tenebris nomen luminis tribuunt, & lumini nomen tenebrarum? Metuamus hanc diſpoſitionem tamquam apertiſſimum reprobationis indicium. *Concionator Neotericus Homilia in Dominica Quinquageſimæ*.

Donec anima noſtra cœleſti lumine fruitur, animi noſtri ægritudines quieſcunt, & ſilent; at ingruitne nox? nullæ ſunt paſſiones, quæ crudelium ferarum ritu centies per noſtrum cor ultro citroque non pertranſeant. Avaritia, ultio, impudicitia, ambitio, odium, invidia, quas Patres leonibus, tauris, tigridibuſque comparant, anima noſtra potiuntur, eamque crudeliter laniant. Donec fidelis gratiæ lumine illuſtratus eſt, quænam monſtra non proſternit, quos affectus non ſuperat? ſed cum in ſcelerum ſuorum nocte verſatur, ſimilis eſt excæcato Samſoni, ſuas vires, & robur amittit, affectuumque ſuorum furori ſe tradit. Eo in ſtatu ſit inimicorum ſuorum ludibrium, ſe capi ſinit, in vincula detrudi, atque omnibus animi ſui facultatibus jugum imponi. Tunc Dæmones, quos antea coniiciebat in fugam, in illum ſuam rabiem evomunt: de tenebris tranſit in tenebras, de paſſionibus in paſſiones, de vitiis in vitia; donec ſibi non amplius integrum ſit, ſuas catenas infringere. Judas ſua ſe excæcari avaritia paſſus eſt; numquid in ea quieſcet? haud ita ſane: perfidia cor ejus pervadet, & ut ſuæ cupiditati faciat ſatis, prodet Dominum ſuum, eumque ſæviſſimis hoſtibus venundabit. Jam ſuæ iniquitatis pretium recepit; numquid in eo quieſcet? haud ita: deſperatio, & furor illius invadent animam; ipſe ſibi carnifex erit, cum non alia turpior manus eidem mortem poſſit afferre: *Facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ*. Pſalm. 103. *Auctor ſermonum Chriſtianorum in ſecundam Adventus Dominicam*.

Peccatoris cæcitas magis horribilis quam tenebræ Ægypti.

Jure Moyſes eas plagas recenſens, quibus Deus Ægyptum percuſſit, ut Pharaonem converteret, tenebras tantum vocat horribiles. Etenim profecto neque fluviorum in ſanguine immutatio, neque exercitus inſectorum, qui illum in ipſo uſque cubili, & penetralibus obſederunt, & omnes terræ fructus depaſti ſunt, neque terribilis lues, quæ omnia jumenta delevit, neque grandines, quæ mortem iis, quoſcumque attigiſſent, inferebant, neque tonitrua, quorum fragor firmiſſima quæque ædificia concutiebat, aliquid in ſe horroris habent, ſi cum ea tenebricoſa nocte comparentur, quam Patres ſemper ſpectarunt, tamquam funeſtam cæcitatis peccatorum imaginem, qui in ſceleribus ſuis convaluerunt, & quas nullum miraculum inde poteſt evellere. *Idem*.

Deus nullam ponit in animabus pravam qualitatem (S. Th. ait) quæ earum cæcitatem efficiat; ſuam tantummodo ſummovet gratiam, quæ illarum lumen eſt; idque non injuria; nihil enim juſtius eſt, quam ſinere, ut in errorem, & cogitationum ſuarum depravationem ille ruat, qui ſponte lumini, & veritati oculos clauſit. Deus nequit eſſe auctor peccati, ſed permittit, ut peccator per obſtinationem perficiat, quod per nequitiam ſuæ voluntatis incæpit. Avertit ſe homo a Deo; equum eſt, ut ſe Deus ab homine avertat: ille diligit tenebras; illum Deus in tenebris relinquit; ille interiori gratiæ

miraculis, boniſque exemplis reſiſtit; non tenetur Deus prodigia operari, neque victrices gratias tribuere eam fracturus nequitiam, quę ſuę clementiæ adverſatur, & quam ipſe peccator ſibi in cæcitatis ſuæ materiam convertit. *Idem*.

Noſmet excæcamus poſtquam fidei luminibus fuimus illuminati.

Verum eſt, ſi omnes cæci naſcimur quatenus Adæ filii, Adam alterum in Baptiſmo nobis viſum reſtituere, quem primus abſtulerat: & licet nemo ſit noſtrum, de quo Adam dicere nequeat, quod parentes illi cæci nati: *nos ſcimus, quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt*: nemo etiam noſtrum eſt, qui ex ſalutari hoc lavacro emergens dicere nequeat, quod cæcus ille, poſtquam JESUS oculos illius illeverat ſputo; *cum cæcus eſſem, modo video*. Et ſane Dei Fillius nobis oculos aperit, in mentibus noſtris fidei lumen accendit, & omnes tenebras procul expellit. O nos beatos, ſi in luminis hujus claritate ſemper ambulaverimus, & ſi ad lucem hanc greſſus noſtros direxerimus! ſed nos miſeros! cito in priſtinam cæcitatem relabimur, cito Divina hæc extinguimus lumina, quæ fides in mentes noſtras effuderat. Nonne jure dici poteſt, pleroſque homines ſuæ rationis luminibus cum primum utuntur, jam tunc illis abuti, ut fidei lumina impugnent, & extinguant? .... Funeſtam, & miſeram cæcitatem, propter quam detinemus in injuſta captivitate omnes Divinas veritates, quarum lux nobis affulſit, & quibus æque parum uſi ſumus, ac infideles, & barbari, qui eaſdem numquam intellexere! De la Font *propoſitione pro Quinquageſima Dominica*.

Cæcitas peccantium.

Cæcitas mentis, & cordis vulgatiſſima eſt cauſa peccati. Peccator omnis cæcus eſt, & peccator non eſt, niſi quod cęcus. Si Deum, ſi ſeipſum, ſi peccatum cognoſceret, hoc numquam patraret; numquid poſſet Deum contemnere, odiſſe, contumeliis afficere ſi illum uti eſt, maximum, optimum, juſtiſſimumque cognoſceret? Numquid poſſet ſeipſum, ut facit, cum lethaliter peccat, præferre Deo, ſi ſeipſum, uti eſt, abjectiſſimum, miſerrimum, & adeo neceſſario pendentem cognoſceret? Numquid poſſet magis, quam Deum, amare peccatum, ſi illud adeo horribile, uti eſt, adeo oppoſitum Deo, & ſibimetipſi funeſtum cognoſceret? Numquid poſſet in eo ſuam felicitatem ſtatuere, ſi ejus effectus, & infinita quæ illud conſequuntur mala cognoſceret? Profecto non poſſet. *P. Nepveu tomo primo conſiderationum Chriſtianarum*.

Primus homo creatus fuit in omnium naturalium luminum affluentiam; peccatum illi aperiens oculos, ut ſuę nuditatis turpitudinem intueretur; eoſdem illi clauſit, ne alia videret objecta, & quod illam concupivit ſcientiam, quæ ipſum minime decebat, ignorantię, & errori addictus fuit. Undenam homo ille adeo perſpicax, adeo in reliquis rebus omnibus prudens, eſt adeo ignarus, & cæcus in iis veritatibus, quæ ipſius ſalutem reſpiciunt: adeo miſere ratiocinatur, adeo loquitur imprudenter. Peccator eſt: in reliquis omnibus ſcitus, & perſpicax, in ſcientia ſalutis puer eſt, & cæcus. *Ibidem tomo quarto*.

Quantum ſit hoc Dei ſupplicium.

Gratiæ ſubtractio cauſa eſt cæcitatis, & pœna quam paſſim Deus punit gratiæ contemptum, vel abuſum. Dolent quidam, quod Deus patienter nimis peccatores ferat; ſed ille clam ſuas ultiones exercet, quæ non ideo minus funeſtę ſunt, quod minus inſignes: hoc autem ſubmovendo peccatoribus lumina, quibus rebelles fuerunt, eoſque fatali neceſſitate percutiendo. Quam communis eſt hæc fidelibus pœna! & ſane niſi plerique cæci eſſent, eos ne videremus in tanta Dei oblivione, tantaque ſalutis ſuæ negligentia verſari, parum adeo judiciorum Dei ſeveritatem metuere; minimum laborare, ut illa prævertant; ſeſe quotidie in æternæ infelicitatis periculum adducere pro fluxa fragilique voluptate, pro turpi quæſtu; ſe in iis gloriari actionibus, quas Deus æternis deſtinat ſuppliciis: denique annos integros ſumma cum pace in iis volutari criminibus, quæ Dei odium, ac terribiles vindictas merentur, cum certo ſciant ſe inferni ignibus torquendos eſſe, ſi in eo ſtatu deceſſerint, neque ſibimetipſis vel unam polliceri poſſint diem, qua non ſint interituri? quam incredibilis videtur in Chriſtiano viro hujuſmodi cæcitas! quomodonam fide conciliari poteſt; & nihilominus, quam familiaris eſt! *Idem*.

De cordis induratione.

Deus, & homo aliquid conferunt cordis indurationi: homo illam incipit, Deus perficit: homo peccatum committens, Deus illud puniens: homo luminibus gratiæ reſiſtens, Deus ſua lumina ſubtrahens, ut reſiſtentiam hanc ulciſcatur: homo injuſtus eſt, & nequam ſeipſum indurans; Deus peccatorem indurans, juſtus eſt, & ſanctus. Cæcitas mentis cauſa eſt obdurationis cordis: cordis obduratio cæcitatis eſt pœna. Aliis pœnis punit Deus tamquam Pater, ſed cum hominem indurat, punit tamquam inimicus. Cum alia Deus immittit ſupplicia, placari vult, eaque peccatorem compellunt, ut illum ſtudeant delinire; in hac autem Deus ſuam quærit ultionem, neque peccator adnititur illum placare: aliæ pœnæ ſæpe pœnitentes efficiunt, hæc nonniſi reprobos efficere poteſt. Cordis obduratio eſt reprobatio inchoata, ſi illam non metuis, væ tibi; ſignum eſt, te aliquam reprobationis partem habere! *Idem tomo ſecundo*.

Cordis obdurationem gravia ſubſequuntur mala. Lumen excæcat, vel perſtringit, cor obduratum non illuminat, Dei flagella illud rebelle efficiunt, non ſubjiciunt; mala, quæ Deus immittit, illud opprimunt, non humiliant; Miracula ſtuporem injiciunt, non convertunt .... Viſne cognoſcere obdurati cordis indicia? hęc S. Bernardus deſcribit. Cor durum eſt, inquit ille, quod neque atteritur pœnitentia, nec pietate mollitur, nec precibus flectitur, nec minis cedit; quod percuſſum magis induratur, Dei beneficiis ingratum, & gratiis infidum. Ad turpiſſima quæque flagitia non erubeſcit, ad maxima quælibet pericula non expaveſcit, nullam erga fratres habet humanitatem, nullam erga Deum reverentiam, vel metum. Præteritorum obliviſcitur, præſentia negligit, futura non prævidet, denique ſuorum officiorum, ſuique metipſius obliviſcitur. Hæc eſt obdurati cordis imago. O imaginem horribilem! Hæccine, tua eſt? Niſi omnia illius habes lineamenta, aliqua ſaltem tibi ineſſe fatearis neceſſe eſt. *Idem*.

Peccator, ut ſeipſum excæcet tria luminum genera extinguit.

Deus nobis tria luminum genera tribuit fidei, gratiæ & rationis, peccator ultro tres has faces extinguit, ac ſeipſum conſtituit in tenebris. Primum quidem fidei lumina extinguit, nihil amplius veretur; infernus, juſtitia Dei, ęternitas illum non movent: *ipſi fuerunt rebelles lumini*. Job 24. Nequit delere fidem, ſed in illam rebellat oculoſque claudit, ne videat, quod ſibi ab eadem, oſtenditur. Alteram priori adjicit cęcitatem gratiæ lumina ſuffocans, hoc eſt, licet vividiſſima gratię ſibi lumina affulgeant, ſemper in umbra mortis atque tenebris peccati deliteſcens. Rationis lumen nullam majorem obtinet apud ipſum vim, quam fidei, & gratię lumen: ratio enim in anima idem fere eſt, atque oculi in corpore. Oculos nobis conceſſit Deus, ut impendentia vitæ noſtræ pericula præverteremus; cæcus enim ſexcentis periculis patet, ſive ab inimicis, ſive a ſemetipſo, cum in ſingulos greſſus ceſpitare poſſit, & ruere. Hoc ipſum de ratione dicendum eſt; quæ eſt oculus animæ, & quæ nobis indita fuit, ut nos a peccato tueretur. Qui hoc lumine caret, jugiter labitur; eum tuto plagis afficiunt inimici, & ipſe affectuum ſuorum, Dæmoniſque efficitur præda. *Abbas de Breteville in ſpecimine ſermonum tomo ſecundo pro feria quarta poſt tertiam Quadrageſimæ Dominicam*.

Tria ſunt mortalium genera, qui pro ſalute ſua excæcati, infeliciter illuminati ſunt, ut videant ea, quæ non ſunt; ſapientes videlicet mundi; Hæretici, & flagitioſi. Sæculi hujus ſapientes ſequuntur dogmata mundi, quæ falſa ſunt, & fallacia: cupiditas, atque utilitas duę ſunt faces, quibus illuminantur, & propter quas vident, quidquid non eſt. Hæretici quoque ſunt ex horum perſpicacium cæcorum numero ea videntium, quæ minime ſunt, quin rerum potiſſimam partem, atque ſubſtantiam inſpiciant, quin certiſſimis veræ Eccleſiæ notis, ſupremę illius auctoritati, & Conciliorum deciſionibus, quę ſunt vere lumina, adhęreant; ſed ſeorſim neſcio quem inanem fulgorem ſequuntur, quo duce infelicia ſibi pernicioſarum opinionum phantaſmata effingunt. Flagitioſi vivendi licentiam quærentes magis ſunt deplorandi; falſam claritatem ſequuntur, quam voluptatis flammæ effundunt, qua duce ſibi videre videntur mortalem animam, licitas voluptates, mundum fortuito conditum gubernatumque, Infernum, & Paradiſum, tamquam politicas adiventiones ad populos in officio coercendos: Omnia denique vera credentes, & nihil metuentes intrepidi vitam trahunt, donec tandem aliquando in Inferno ea videant, quæ in terris videre noluerunt. *Idem*.

BIBLIOTECA CENTRAL

Mundus cum illis, qui ſe ejuſdem mancipant ſervituti, eodem pacto agere videtur, quo Rex Ammonitarum cum illis populis egit, qui illius ſeſe ſubjicere voluerunt imperio; eos quippe hac propoſita conditione recepit, ut ſingulis dexterum oculum effoderet: *In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium veſtrum oculos dexteros*. Hoc ipſum mundus facit; ſervis ſuis dexterum eruit oculum, hoc eſt prohibet, ne vera, & recta ratione res videant: Omnia ſiniſtrorſum vident, omnia illis falſa luce involuta apparent, & prorſus alia ab illis, quæ ſunt. *Idem*.

Miſer peccatoris excæcati ſtatus.

Nihil magis deflendum eſt, quam excæcati peccatoris errores: neſcit quo vadat; immo & quo ire velit. Laſſatur, fatigatur, difficiles ingreditur vias, ſequitur ſemitas præpeditas, quæ adducunt in præceps, & quæ illum mortali ſollicitudine excruciant. *Laſſati ſumus in via iniquitatis*. Sap. 5. At quoties in hoc ſtatu labitur infelix? Ubicumque abyſſos invenit, & ſine luce, & ſine lumine fieri ne poteſt, quo minus in præceps ruat? *Fiat via illorum tenebræ, ac lubricum, & Angelus Domini perſequens eos*. Pſal. 34. Finge tibi hominem in quodam excelſo, præcipitique loco poſitum, qui lubricus ſit, gravi oneratum ſarcina concubia nocte, atque gravi actum impulſu ab hoſte crudeli, qui eumdem in interitum dare conatur: hic eſt ſtatus peccatoris in cæcitate poſiti. Denique miſer hic ulterius agere non poteſt; ſuis vinctus eſt affectibus, libertas ejus imminuta eſt, & illum deſerit gratia: quid in hoc ſtatu poteſt efficere? *Idem ſermone pro feria quarta Hebdomadæ quartæ in Quadrageſima*.

Animæ cæcitas a Regio Propheta mortis umbra vocatur: non eo ſolum, quod quemadmodum ſemper umbra ſubſequitur corpus, ita animæ tenebræ ſemper ſunt æternæ morti proximæ: vel quod tamquam imago illius mali, quod mors corpori infert; hominem omnibus ſpiritualis vitæ muneribus privat, eumdem ſine motu relinquens, quoad Deum feratur, ſine cœleſtium rerum ſenſu, ſine actione ſupernaturali, unde argui poſſit aliquod vitæ reſiduum in anima ſupereſſe; vel quod quemadmodum oculus ex Phyſicorum animadverſione prima pars eſt, quæ moriatur in corpore, poſtquam reliqua omnia membra deinceps alia poſt alia moriuntur; ita per cæcitatem intellectus, qui animæ fax eſt, atque oculus, primum Eclypſim patitur, quem deinde voluntas ſubſequitur, ita ut nulla ſit ultra in homine facultas, quæ tendat in Deum; ſed particulariter, quia ſicuti mors terminus eſt quietis, & conſiſtentiæ, in quo æternum permanetur, ſimiliter cæcitas, quæ eſt mortis umbra, fixus eſt, firmuſque in peccato ſtatus, ubi nulla ſpes eſt mutationis, & converſionis. *Deſumptum ex authore Anonymo, & recentiore*.

Deus excæcatum peccatorem deſerit.

Cum Deus videt homines in peccatis ſuis occalluiſſe, & quin patrata ſcelera defleant, veteribus addere recentia nullo metu deterritos, tunc id facit, quod in Scripturis paſſim memoratur; Cœlum claudit, neque ſinit ullam roris gratiæ ſuę guttam decidere; nubibus ſuis præcipit, ut dicit Iſaias, ne depluant, hoc eſt Evangelii ſui præconibus imperat, ne Divinum verbum effundant, ſed ingratas animas deſerant, quæ eorum monitis ſemper aures obſtruxerunt: tunc vero anima tamquam arefacta tellus nullum proferens fructum, ubicumque ſentibus dumiſque tegitur igni devotis. Aliquam adhuc extrinſecus ſervare ſpeciem poteſt, ne ſibimetipſi horrorem cieat; & actiones quaſdam efficere, quę hominibus bonę videantur, & quas tales eſſe ipſe ſibi perſuadeat, ſed dum hę fiunt, cœleſti gratiæ rore non irrigatur, quo opera illa ſancta, atque ſupernaturalia efficiantur. *Liber, cui titulus Vitæ Prophetarum, in vita Eliæ Prophetæ*.

Propheta Oſee terribile hoc malum, & numquam ſatis metuendum exprimit, cum ait, Deum ingratas has animas in deſertum eſſe redacturum, innuens quid de homine fiat, quem derelinquit Deus, ubi fuerit ab eodem derelictus. Quemadmodum enim in deſerto nulli erant incolę, nulla domus, eſca nulla, ita anima, quæ ſeſe peccatis abdidit, gratiis omnibus, quas receperat, expoliatur, ſterilis bonorum operum, vitiorum fœcunda ſuis affectibus vincta inſtar ſylveſtrium ferarum eamdem miſere dilaniantibus fit horrida ſolitudo, in quam (præter infrequentia, & inutilia aliquot dona) nulla cœleſtis roris decidit gutta, a qua Deus, & Angeli receſſerunt, & in qua ſoli Dæmones incolunt. *Idem in vita Prophetæ Oſeæ*.

Sanctus Bernardus animadvertit, Dæmonem, ut peccatori caliginem offundat, tenebris æque, ac lumine abuti. Tenebris quidem illum excæcat, cum eumdem in mundanę vitę flagitiis detinens omnibus occupatum affectibus, omnibus mancipatum voluptatibus, in omnibus cætibus diſſipatum, illi, & peccati, & Divinæ Juſtitię aufert intuitum. Namque in funeſtis hiſce tenebris nihil amplius peccator videt, vel nihil videt, quale eſt, excuſans omnia, omniaque levia putans &c. Lumine vero peccatorem excæcat Dæmon, cum gratia illi detegente, quidquid ipſe tanta ſollicitudine texerat, ut eumdem in deſperationem injiciat, illi perſuadere conatur, malum nimis percrebuiſſe, quam ut ullam pati valeat medicinam; tunc aperit Diabolus conſcientiam ſexcentis iiſque difficillimis, quæ illas tuentur, rebus præpeditam; animæ perturbationem, voluptatibus deditæ, vitæ ſexcentis iiſque injuſtis negotiis irretitę confuſionem, horroremque nonnullorum enormium ſcelerum, quæ ſingularia ſunt, & quorum extra ſe vix ullum exemplum inveniat. Hæc omnia chaos efficiunt æque horridum aſpectu, ac difficile extricatu. *P. Aurelianenſis ſermone de Confidentia*.

Quomodo facile ſit in cæcitatem labi.

Hoc intereſt inter veritatis ſemitas, erroriſque vias, quod in illis nonniſi ægre & cum difficultate progredimur, tanta vero pernicitate in his currimus, ut jam in præceps ruere videamur, antequam errorem ipſum licuerit deprehendere. Et ratio conſtat; virtus enim a nobis tamquam aliena facta eſt, peccatum vero familiare. Poſt primi parentis peccatum quænam tenebræ ſuper univerſam terræ faciem effuſę non ſunt? nonne ex eo uſque tempore corruptio radices quodammodo jecit in natura noſtra, & concupiſcentia nobis facta eſt veluti naturalis? Atque ut malis noſtris accedat cumulus; malignus, atque ſeductor ſpiritus nonne ſpecioſo fuco, externiſque illecebris involvit errorem, in quem homines ſtudet impellere, ut facile, immo etiam cum gaudio, illuc trahi nos patiamur. *Sermo manuſcriptus*.

Talis eſt, o fideles, torrens, qui tanta pernicitate vos rapit. Eo fortaſſe temporis momento, quo loquor, non tantum gradu abeſtis a præcipiti; pedem ſi profertis illuc lapſuri eſtis, inde fortaſſe numquam evaſuri. Audite terribile illud ſupplicium, quod Iſaias Propheta Jeroſolymę rebelli portendit. Contremiſcite, fremite præ terrore, & exareſcite, quippe Dominus ſuper vos effuſurus eſt ſpiritum ſoporis; vos eſt excæcaturus: *miſcuit nobis Dominus ſpiritum ſoporis: claudet oculos veſtros*. Iſaiæ 29. Cumque oculi veſtri Divina manu fuerint clauſi, nonniſi tenebras intuebimini, & omnia vobis erunt abſcondita. *Et quaſi in nocte, ſic palpabunt in meridie*. Deut. 28. Incedent plena luce, quemadmodum nocte concubia, denſiſſimis undequaque tenebris circumſepti. Hoc eſt; non deſunt fideles æque cæci, ut non videant lucem fidei qua illuminantur, ac olim Judæi erant & hodie quoque ſunt Ethnici in idololatriæ tenebricoſa caligine. *Idem*.

In peccatoris cæcitate quædam adſunt luminis intervalla.

Neque putandum eſt peccatoris cęcitatem atque indurationem omni prorſus ſpe eſſe deſtitutam non deſunt intervalla quædam rationis, quibus Deus aliquod lumen in illius animam immittit, ut terribiles religionis veritates recogitet. Voco rationis intervalla ea ſolitudinis momenta, quibus ſopiti affectus ſinunt aliquandiu ea videri, quę abſconderant: voco rationis intervalla terrores, languores, mœroreſque quos ætas ſeneſcens, quos oris forma evaneſcens, quos corporis valetudo effæta fere ſemper afferunt, ut verbo me expediam, brevem illam voluptatem, quę percipitur ex illius rei poſſeſſione, quę nimio ardore, nimiaque feſtinatione fuerat excupita; hæc voco rationis intervalla. Heu quam difficile eſt, his ſaltem intervallis aliquid intra noſmetipſos non ſentire, quod efficiat, ut terribiles fidei veritates animo reputemus. His ergo momentis utendum eſt, ut ex erroribus noſtris reſurgamus. *Idem*.

Cum noxii affectus impiorum menti caliginem tetram offuderint, perſpicue ea, quæ ad Deum pertinent, minime intuebuntur, niſi ex hac ſervitute egrediantur. Cum violentus aliquis affectus cor noſtrum erga aliquod objectum impulerit; huic integrum amplius non eſt judicium ferre, utrum lex, qua objecto illi interdictum fuit, ſit æqua, necne: jam jam inimicus eſt illius religionis, quę rei amatę poſſeſſionem prohibet, eamque felicitatis ſuę putat inimicum, & mens iis adumbratam nubibus, quas hic affectus offundit, religionis ipſius rationes audire non poteſt, neque eidem litem adjudicare. Ita flagitioſus homo, cujuſcumque ſectæ ille tandem ſit, veritatem ſincere quærens, ante cetera omnes auferre debet obices prohibentes, ne de veritate perſuadeatur. Quælibet naturalis affectio menti caliginem offundit, eamque minus aptam efficit ad nubem, qua veritas ipſa tegitur, penetrandam: ſed terrenarum voluptatum amor adverſatur Evangelicæ veritati, qua ille damnatur: atque miraculo adſcribendum eſſet, ſi anima illis abdita, hac in re intelligere poſſet rationem. Ita prima conditio, quæ ex eo petitur, qui in hoc ſtatu verſatur, eſt innocens vita, honeſta, affectibus, ſceleribuſque vacua, ut incipiat vitam vivere Evangelicis legibus conformem. *Idem*.

Cæcitas eſt divinæ juſtitiæ ſupplicium.

Dei Juſtitia contra peccantium ſcelera irritata noxios punit affectus, quibus illi ſeſe mancipарunt, eiſque ultrices tenebras offundit. Hæc ira præſertim apparet, in eorum negligentia, quæ ad religionem pertinent, & quæ ad inſenſibilitatem uſque procedit, in hac profunda pace, qua peccatores, tamquam lethargico ſomno capiuntur, in odio illo, quo perſequuntur quidquid inanem requiem turbare, ac illi afferre ſollicitudinem poteſt; in hac jugi diſpoſitione vivendi, gaudendi atque vitam ſuaviſſime traducendi. *Cum impius*, Sapiens ait, *in profundum venerit, contemnit*, *Idem*.

Heu! fruſtra cæcis lumen offertur, & canitur ſurdis! fruſtra conamur diſſipare illuſiones mentis, quæ diutius erroribus aſſuevit, & ſceleribus ſeſe jam abdidit; quæ præterquam quod complacet ſibi in cæcitate ſua, ſeipſam confirmare ſtudet, ac tenebras ſuas aliis involvere tenebris, quemadmodum loquitur Sanctus Auguſtinus: *Tenebrans tenebras ſuas*. Hoc enim peccatum facit; cum in animam ingreſſum eſt; tunc illa infeliciſſimi ſtatus, in quem per inobedientiam redacta fuit, contenta, inde fere numquam egredi cupit; ſeſe tradit ſuæ mentis erroribus, ut fallacem ſui cordis ſemitam ſequatur; renuitque ea cognoſcere, quæ præcipit Evangelium, ne eadem teneatur explere; neque verſantur amplius ob oculos illius judicia Dei, mors, paradiſus, infernus &c. *Alius ſermo manuſcriptus*.

Potiſſima cæcitatis ratio.

Quemadmodum arduum eſt diuturnum ſuſtinere prælium inter affectus, atque rationem; ut majori cum tranquillitate fruatur impius vitæ præſentis voluptatibus, hoc init conſilii, ut alteram evertat, vel infirmet, alteri ſatis facturus; hoc eſt, ne incompoſitorum affectuum ſuorum ſtadium intercidat, in corde ſuo puriores fidei ſenſus extinguit, omniaque rectæ mentis, atque rationis lumina ſupprimit. Hoc pacto importunos retundit conſcientiæ ſtimulos, quam fallere adnititur; Ita citra ſollicitudinem ac tumultum in ſua vivendi licentia perſeverat, & quaſi lex concupiſcentiæ ſuavior eſſet, quam lex rationis & æquitatis; vel quaſi major eſſet felicitas, & gloria in vita brutorum potius, quam hominum ritu traducta, jam mavult omnem rationem exuere, quam libidinoſam, flagitioſamque vitam relinquere. *Idem*.

Cum Deus in nos Juſtitiæ ſuæ procellas ciet, cum nobis ærumnas, atque tribulationes immittit, cum diuturnis, moroſiſque morbis non opprimit; fidei conſonum eſt, ibi ſemper juſtitiam Dei cum ejuſdem miſericordia eſſe permixtam. Sontem ſupplicio afficere, hic ſane juſtitiæ effectus eſt, ſed illum afficere in tempore, ut ſervet in æternitate; hic eſt ſane magnæ miſericordię ejuſdem effectus: & nos beatos, ſi hæc nobis acciderit ſors, quæ eſt animarum prædeſtinatarum, ita dolorum crucifixi Dei participes fieri, ut mox in gloriæ ejuſdem partem accedamus. Sed cum Deus cæcitate percutit peccatorem, hic puræ Juſtitiæ effectus eſt ſine ulla miſericordiæ mixtione: tantum enim abeſt, quod hujus generis ſupplicium illum ad frugem revocet, & quodammodo cogat, ad pœnitentiæ medicinam confugere, ut immo e contra magis, magiſque in ipſius improbitate illum confirmet, atque in iniquitatibus induret. *Idem*.

Cæcitas animæ ſomno comparata.

S. Auguſtinus animæ cæcitatem explicat hominis dormientis ſimilitudine. Cum oculi noſtri ſomno clauſi ſunt, cæci ſumus; aliquid tamen videmus adhuc: ſi enim oculi ſunt clauſi, patet imaginatio; plurima efficimus ſomnia, locupletes eſſe putamus, atque in voluptatis, & copiæ gremio verſari arbitramur: verbo, ſexcentas nobis fingimus ideas. Hæc eſt (fideles) imago noſtra. Vera objecta, quæ ſunt coram nobis, nequaquam videmus, mutum rerum creatarum ſermonem, quo ad Dei cognitionem adducimur, non exaudimus: ſed imaginatio noſtra plurima nobis exhibet phantaſmata: credimus in fortunæ bonis veras inveniri poſſe divitias, ubi non ſunt: credimus voluptates veras in terra inveniri, ubi non ſunt: ſed cum morti proxima evigilabit anima noſtra, tunc aperientur oculi noſtri, atque terribilem cæcitatem noſtram intelligemus. *Deſumptum ex ſermone manuſcripto Maſcaron*.

David eſſe nobis poteſt pro exemplo cæcitatis illius, ad quam peccator poſt ſcelus redigitur. Miſer hic Rex annum traduxit integrum, quin ſe ipſum cognoſceret, poſtquam adulterium, & homicidium patraverat: cumque tandem ſeſe collegit, tunc ſibimetipſi ait: ubi eratis oculi mei? lumini oculorum meorum quænam caligo erat offuſa? *Lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum*. Pſal. 37. Et ſane Princeps ille adeo cæcus erat, ut Propheta Nathan parabolam enarrante, quæ ad ipſum ſpectabat, licet alioquin ſumma intelligendi polleret vi, & perſpicacia, tamen ipſe contra ſe tulit ſententiam. Cur autem? *Lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Idem in alio Sermone*.

Mundi dogmata nos excæcant.

Si affectus, licet pernicioſiſſimi ſint, tamen non ſatis virium obtinent, ut cor ipſum corrumpant, mundi dogmata illis ſuppetias ferunt, cumque ſint luminis veritatis prorſus oppoſita, effundunt mendacii lumina in illis, qui ſibi adhærent. Si præcipit in Evangelio JESUS CHRISTUS, ut proximum diligamus, hæc nos diſpondunt, ut ipſum noſtris utilitatibus ſacrificemus; ſi ille inimicis veniam tribui jubet, hæc ut ultio expetatur, ſuadent, ſi ille divitias, tamquam ſummo cum periculo conjunctas damnat, eas eſſe putant neceſſarias, ſi ille humilitatem commendat: hæc ſuperbiæ ſenſus inſpirant: Itaque mundi hujus ſpiritu rapti adverſamur ſpiritui Dei, & inconſulto, atque temere ea ſequimur dogmata, quæ vera eſſe non poſſunt, quamdoquidem doctrinę JESU CHRISTI, quæ ipſa veritas eſt, opponuntur. Si in tot infirmorum mancipiorum turba generoſus aliquis inveniatur fidelis, ſatis ſtrenuus, ut vincula ſua valeat confringere, mundus, qui pati non poteſt virtutes, quas ignorat, nihil relinquit intentatum, ut ultiorem depoſcat. Ille infirmus eſt, qui hujus damnat infirmitatem, inſanus qui voluptates contemnit, hypocrita, qui ſalutem ſuam operatur; denique omnia obtrectationis in illum tela contorquentur, & dicamne quod ſentio cum timidorum ignavorumque fidelium probro? Horum ſermonum metus prohibet ſæpe peccatorum converſionem, qui ne hominibus diſpliceant, ſeſe Deo mancipare non audent. *Pater de la Rue ſermone de cæcitate*.

Inexcuſabiles eſtis in cæcitate veſtra; inde enim excuſationem ſumitis, ut in eo ſtatu permaneatis, in quem voſmetipſos redegiſtis. Vos ipſi fidei lumen abjeciſtis; lumen gratiæ, quo illuſtrabamini, ſuffocaſtis, & rationis facem fere extinxiſtis, & velletis adhuc infirmitatem veſtram excuſare, vel confictam impotentiam quamdam prætexere? Si a recta veritatis, & vitæ ſemita aberraſtis, ſi vos vobiſmetipſis foveam effodiſtis, in quam eſtis delapſi, ſi in hunc cæcitatis ſtatum veniſtis, unde modo emergere integrum vobis non ſit, niſi Divina miſericordia ſubſidium ferat, vobiſmetipſis ſuccenſere, atque vos tantum hoc mali vobis conflaſſe fateamini. Utilius modo tamen vobis eſt, nullam erroris excuſationem afferre: & hæc unica reſtat via, ut extremum conatum exeratis de miſerrimo hoc ſtatu evaſuri, ut cum cæco Evangelico, cui JESUS oculorum aciem elargitus eſt, dicere poſſitis: *cum cæcus eſſem, modo video*. Utique, fratres mei, vos hoc agere poteſtis. Deus vobis proponit media, & adhuc ſatis luminis vobis eſt, ut hoc peragatis. Hic poſtremus eſt, fateor equidem, erga vos Divinæ miſericordiæ conatus, ſed quantum in vobis eſt eidem velificari debetis. Oculos aperite extremo fulgori luminis gratiæ vos illuminanti, & enixius flagitate Deum, ut vobis ejus periculi, in quo verſamini, cognitionem aperiat. *Sermo manuſcriptus*.

Scriptura

Verum eſt, cæcitatem eſſe tamquam pœnam ſce-

docet, Deum peccatores aliquos cæcitate percutere.

lerum noſtrorum magnitudini debitam: Scriptura enim adeo aperte hoc docet, ut ambigere nefas ſit. Achab impius eſt, Deus inquit, & vox ſanguinis Naboth aſcendit ad me de terra; illum excæcare volo, & permittam, ut ſeducatur; illius Prophetæ mendacia loquentur; non erit cum illis ſpiritus veritatis, & calamitoſus hic Princeps ab illis fallerur, & decipietur, qui eumdem conſiliis ſuis juvare deberent: *Nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore Prophetarum tuorum*, dixit illi Deus per Prophetam ſuum: 2. *Paralip. decimo octavo*; quomodo autem hoc fiat, detegere, myſterium eſt, vel potius abyſſus, quam Theologi nequicquam penetrare conantur. *Ex manuſcripto ſermone P. Stephani Chamillard.*

Scire ſufficit, non poſitive, neque phyſica aliqua actione, ut loquuntur in ſcholis, Deum nobis offundere tenebras: alioquin ille injuſtus eſſet, & auctor peccati: ſed quaſdam ſummovendo gratias, cum quibus futurum prævidebat, ut ſalutem noſtram operaremur, & quam nobis elargiri minime tenebatur: ſubmovendo inquam quaſdam gratias privilegiatas (abſit verbo invidia,) & quibus illuminari cupiebat Regius Propheta inter aulæ ſuę negotia ſæculique tumultum: *Illumina faciem tuam ſuper ſervum tuum*, Pſalm. centeſimo decimo octavo. *Revela oculos meos*, Pſalm. centeſimo decimo octavo. *Illumina tenebras meas*, Pſalm. decimo ſeptimo. Deus autem ubi irritatus eſt, nobis hæc lumina ſubtrahit, ideoque nos in ſtatu cæcitatis relinquit, quæ maxima, & graviſſima eſt pœna, quæ nobis in hac vita poſſit infligi. Maxima, inquam, tunc enim etiam cum populum ſuum alio quolibet ſupplicio afficiebat, populus ille Deum erga ſe paterna fovere viſcera experiebatur. Fruſtra inter fulgura, atque tonitrua apparebat, fruſtra minitabatur, ſe illos derelicturum, omnemque fortunæ ipſorum curam prorſus abjecturum. Hæ licet auribus obſtreperent minæ, populus facile intelligebat ſe adhuc a Deo amari, & ipſum curam ſui adhuc habiturum. Quorſum autem? quod præter cæcitatem in omnibus Dei ſuppliciis, quę tamquam Pater immittit, non deeſt quædam juſtitiæ & miſericordiæ commixtio: cæcitas vero pœna eſt, quam judex irritatus infligit, ut inde juſtitiæ ſuæ effectus ſentiatur. *Idem.*

Cordis induratio mentis cæcitatem ſuper ſubſequitur.

Hanc cæcitatem criminoſa obſtinatio ſubſequitur, ideoque etiam cordis obduratio vocatur, ita ut peccator hac cæcitate perculſus in ſceleribus ſuis ſibi complaceat, atque inde egredi vereatur. Job eam nobis graphice paucis verbis exponit: *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*, Job 21. Domine recede, luminum tuorum non egemus; etenim in eorum, quibus fruimur, bonorum poſſeſſione, nobis mœrorem afferrent. Si diligentius ea omnia ad examen revocaremus, quæ nobis Chriſtiana imponit religio, quanam ſollicitudine, quibus ſcrupulis anima noſtra agitaretur? Crederesne? hac in re nos ipſos decipimus, & eos extinguimus ſenſus, quos ratio, & natura nobis injiciunt. *Idem.*

Quid accidit, cum permittente Deo, iis luminibus, & cognitionibus, de quibus ſermo, deſtituimur? Cor, quod juxta Evangelii præcepta ſeipſum regebat, quod conſcientiæ ſuæ motus audiebat, & ſequebatur, quantum in ipſo eſt, ea effugit omnia, quæ aliquam ſibi dubitationem poſſent afferre. Ullane flagrat nefaria affectione objecti perituri? Eone in loco verſatur, ubi licet temporum adverſetur egeſtas, rationes congerendi divitias invenit? Exercetne ulla negotia, ubi ſub duplicis contractus colore uſuram involvit? Quin conſulat eruditum aliquem virum, qui minimos etiam nequitię, pravæque fidei ſuæ detegat ſinus, ne ulla cogitatione turbetur, hanc ſibi aufert cognitionem, ſeipſum excæcat, quærit amicum, qui ſuis flagitiis conniveat, & ad ſcelera excuſanda aliquam rationem inveniat. Satis frequens abuſus; ſed coram ſupremo judice minime profuturum. *Idem Pater Stephanus Chamillard.*

Ethnicorum Philoſophorum cæcitas.

Sanctus Paulus in ea, quam ad Romanos ſcripſit, Epiſtola veterum Philoſophorum deplorat interitum: cum enim Deus illos ad ſe pertraxiſſet ſuæ Divinitatis cognitione, atque perſpicacis intellectus ſublimitate; *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtavit*, ad Rom. 1. ab hominibus ſapientes haberi voluerunt, & ſecundum vias carnis incedere; Deum quidem agnoverunt, quin tamquam Deum colerent; hoc eſt illius contempſerunt lumina, quæ illorum duces eſſe debebant: ſed ſtatim ac ſeſe tradiderunt errori mentis depravatæ, atque corruptę, erraruntquoque in inanibus ratiocinationibus ſuis, & cor eorum intelligendi vi deſtitutum non aliud amplius fuit, quam tenebrę. Tunc omni iniquitatum genere repleti ſunt: facti ſunt invidi, ambitioſi, ſuperbi, turpiſſimis affectionibus dediti & nequiſſimis impudicitiis immerſi: *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam, &c.* ad Roman. 1. *Idem.*

Quam illacrymabilis eſt infidelis animæ ſtatus ex Dei manibus elabentis, & excutientis jugum timoris illius? Cum impius ceciderit, Sapiens ait, in peccatorum abyſſum, Dei ſui oblitus, nihil amplius eum cohibet. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*, Proverb. decimo nono. Non eſt amplius timidus peccator, qui contremiſcens peccet, & adhuc contra peccatum obluctetur, ſed peccator eſt intrepidus, & audacter in viam iniquitatis incedens; non eſt amplius fragilis, decidens, atque reſurgens, & inter errores ſuos pœnitentiam cogitans, ſed eſt in malo conſtans, immutabilis in habitu peccati, qui cum omnia religionis abjecerit exercitia, omnem ſibi ad pœnitentiam aditum interclusit. *Deſumptum ex ſermone Abbatis Mongin, qui pretium tulit Accademiæ Pariſienſis.*

Olim cum metus, vincula, & cognitio Divinæ Juſtitię, quam religio nobis adeo terribilem repræſentat in ſuis ſuppliciis, adhuc in officio peccatorem continebant; horribilis pœnarum imago iniquitatis exundationem coercebat, timor erat tamquam frænum affectibus, & tamquam vigilans, & ſevera cuſtodia ad cordis oſtium poſita, ut inde vitia quælibet ſemoveret. Modo vero cum manus minitabunda non terreat, immo cum neque manus percutiens ſentiatur, & Cœli tela in irritum abeant, quinam exceſſus! qui furor! quę impietas! torrens eſt, aggeres, & valla diſrumpens; ſcelus ſecum alia ſcelera trahit, fluctuum inſtar fluctus alios propellentium & perniciſſimo gradu fluentium. In ſingulos greſſus magis, magiſque in abyſſum demergimur; quælibet dies nova monſtra parit, horrores noſtri nobis ſtuporem injiciunt; quid de religione actum fuerit ignoramus; aperimus oculos, & nullum lucis radium affulget; inter Deum, ac nos nubem ſine fine expanſam intuemur, & caliginoſam adeo ut penetrari non poſſit. Senſim mens in licentia eoſdem progreſſus facit, atque cor; errores reſpondent affectibus: initium dedit timoris jactura; fidei jactura finem imponit. *Idem.*

Per gradus in cæcitatem ruimus.

O miram inſenſibilitatem inde ortam, eo quod Deus fuerit derelictus; vitium æque ac virtus ſuos habent gradus, ſuos progreſſus, & quemadmodum vir bonus, puta, Elias, non eſt opus diei unius, ita nemo repente fit Jeſabel, & Achab. Ineptis primum rationibus ſuſpendere potius incipimus, quam placare perterritæ conſcientię procellas; mox ſenſim Dei guſtum, & omnem pietatis ſenſum amittimus; denique confirmatum cor ex oblivione bonitatum Domini ſui ad oblivionem ſæviſſimorum judiciorum ejuſdem gradum facit. *Deſumptum ex alio Sermone, qui & ipſe Pariſienſis Accademiæ judicio pretium tulit.*

Quædam adeſt proportio, & immutabilis ordo inter ſcelus, & ultionem, qua in hac vita Deus illud perſequi conſuevit. Concupiſcentia nubem extulit inter peccatorem, atque rationem: ille quidem in vita ſua ſequutus non eſt eas ſemitas, quas gratia offerebat; Dei vero ſpiritus, ut ulciſcatur ab eo recedet, cumque ſuis erroribus tradet. Veritas, quæ, ubi ſe ille huic præbebat attentum, magnam afferebat lucem, non erit amplius niſi levis, & evaneſcens fulgor, & pro puris religionis luminibus tenebras, quas tantopere adamavit, inveniet. Harum autem tenebrarum certius indicium eſt profunda ignorantia, quæ peccatoribus ſuæ infelicitatis aufert cognitionem, ut ſe a Deo derelictos intelligant; ambulant in umbra mortis, & umbram hanc lumen putant. Procul a Deo non ſunt amplius populus ejuſdem, & ipſe non eſt amplius eorum Deus: omnes oculi præter oculos ipſorum aperti ſunt, & palam ſtatum eorum intuentur, atque opus eſt, ut Propheta irreparabiles ipſis impendentes calamitates annunciet; Fugerunt diem, & illos ſubſecuta eſt nox; & quia cordis ignorantia illorum peccatum conſtituit, cæcitas mentis illorum ſupplicium conſtituet. *Idem.*

Homines

Sanctus Paulus Theſſalonicenſes ita redarguit:

non

BIBLIOTECA CENTRAL

ſe ipſos fallere, & excæcare quærunt.

non recepiſtis, neque amaſtis veritatem, quæ ſalvos vos fecit: Deus igitur immittet vobis ſpiritum erroris, qui vos excæcabit, & efficiet, ut mendacio credatis. In reliquis omnibus veritatem quæſiviſtis ne voſmetipſos deciperetis; vel ne illis alii ad vos decipiendos uterentur. Cum momenti alicujus lis vobis oborta eſt, eruditiſſimum quemque conſultum juris adhibuiſtis, illi quid cauſę veſtræ prodeſſet, quid obeſſet, explicare voluiſtis, neque ſolum duorum, vel trium ſapientium virorum monitum petiiſtis, ſed plurimorum ſimul conſulentium ſententiam exploraſtis; atque lætati eſtis, cum adverſarii veſtri objectiones prævidebantur, ut illis poſſet occurri. Si hoc ipſum præcaviſſetis pro ea re, quę magis intereſt veſtra, ſcilicet pro bonorum veſtrorum diſcuſſione, quorum major pars injuſte fuit acquiſita, haberet Deus rationem bonæ fidei veſtrę, & hanc vobis mentem injeciſſet, ut eos conſuleretis, qui vos ex erroribus veſtris revocarent. *Auctor moralium ſermonum.*

Hoc in ſtatu nihil amplius cohibere vos poteſt; peccatorum numerus non recenſetur amplius; circumſtantiæ eorum non perpenduntur, illæ etiam quæ turpiſſimæ ſunt, omnem jam exuerunt turpitudinem ipſis inhærentem. Quid autem ex infelici hac ſequitur libertate? poſt hæc nullum crimen eſt, in quod non ruatur; ſcelus in aliud ſcelus pertrahit, peccatum alteri peccato viam ſternit faciliorem, & per gradus in imum uſque abyſſi deſcenditur. Nihil amplius eſt, quam horror, impudicitia, libido, quilibet dies nova moſtra producit: hæc ſunt impietatis, atque licentiæ adinventa. *P. Cheminais ſermone de relapſu.*

Hinc ea proficiſcitur voluntaria cæcitas peccatorum, qua lumini oculos claudunt, eo quod hæc illis ea detegit, quæ ſtudiis ſuis minime arrident. Moleſtam objiciunt veritatem, ut commodum errorem amplectantur, & volunt ſibimetipſis ſatiſfacere, illuſionibus paſci, atque cum voluptate ſeduci. *De la Volpilliere ſermone de Fide.*

Quos peccatores excæcet Deus.

Non deſunt peccatores, qui de induſtria oculos claudunt lumini, & a veritate recedunt: *inducet mortem & conterentur ..... qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo*. Super hos effundet Dominus horribiles tenebras, eoſque formidabili cæcitate percutiet. Videte Phariſæos in Evangelio; Poterat JESUS CHRISTUS majores faces accendere, quarum lumine calamitoſi illi ipſum viderent, & recognoſcerent? Aciem oculorum reſtituit illi, quem quotidie præ templi foribus intuebantur; pluribus teſtibus hoc miraculum confirmatur; hujus veritatem illi diligentiſſime explorant, & licet tot lumina ipſis affulgeant præ invidia manifeſtam hanc veritatem nolunt confiteri; eaque paſſio rabie acta ex eorum cordibus ſexcentas nubes effundit, ut facti hujus celebritati caliginem quamdam offundat. *Fromentieres ſermone de cæcitate.*

Dei filius cæcitatem hanc judicium vocat.

Dei Filius cum peccatorem aliquem illuminat, aliumve excæcat, tunc ait ſe exercere judicium: *In judicium .... veni, ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant*. Ne audeamus ergo judicium ferre velle de tanti Judicis judicio, inquit Sanctus Auguſtinus, & ſi quid nobis faciendum eſt, addit ille, contremiſcendum eſt; *non judicium uſurpemus, ſed contremiſcamus*; Vereamur, ne cum toties meriti fuerimus a Deo excæcari, in nos tandem meritis ſupliciis animadvertat. *Idem.*

Cogita hominis ſtatum, concubia nocte iter habentis in lubrico inter loca ardua, & confragoſa. Poteſtne proferre pedem, quin ceſpitet, & periculum adſit, ne ruat in præceps? Regium Prophetam interroga quinam ſit cæcorum peccatorum ſtatus; hunc ſimilem dicet viatori aberranti, nihil niſi lubricum, tenebraſque invenienti. Nonne ad hominem perdendum horum dumtaxat alterum ſatis eſt, S. Auguſtinus exclamat? *Idem.*

Proprius ſpiritualis cæcitatis effectus eſt quædam veluti neceſſaria catena ſcelerum, & iniquitatum; ideoque quis non credet, quandoquidem illam teterrimi effectus ſubſequuntur, graviſſimum eſſe ſupplicium, quo Deus peccatorem percutiat? Quinam vero hoc credens, ſe hoc minime percuſſum iri ſperabit? nonne ſcis unicam affectionem, quam foves, & in corde tuo adoleſcere pateris, hanc in te pœnam poſſe detorquere? Conſidera quouſque cæcitas Phariſæorum proceſſerit. *Idem.*

Quam difficile ſit ex hoc ſtatu emergere.

Ut intelligatis maximam difficultatem, ne dixerim moralem impoſſibilitatem, quæ in excæcati peccatoris curatione invenitur, hoc dicam ſolum; hominem in hoc ſtatu poſitum calamitatem ſuam non cognoſcere, quam ſi cognoverit, illam amat, & quam licet amare deſineret, per ſe illinc tamen non poſſet emergere. Præter quam quod plurimi ſunt peccatores, qui quamvis ſuam cæcitatem cognoſcerent, ægre tamen ſe curari paterentur, eo quod ſuum amant ſtatum, atque in eodem complacent ſibi. *Cæcus eram, & tenebras amabam*, ajebat Sanctus Auguſtinus, qui poſtquam ſuam cognovit, & ſenſit infirmitatem, diutius in eadem permanſit, quin illam relinquere vellet. In tenebris verſabar, inquit ille, ſed inde infelicitati meæ cumulus accedebat, quod illas amabam. Neque longius petenda ratio eſt: peccatores enim tenebrarum beneficio liberrime ſuis ſatisfaciunt affectibus. Cœli lumen ipſorum turbaret voluptates, ipſorum turpitudinem detegeret, ipſoſque rubore ſuffunderet. *Idem.*

Cum cor perverſum eſt, fruſtra lumen affertur, menti cujus rei manifeſtum habemus in Judæis exemplum: Parabolæ enim, quæ maxima etiam myſteria efficiunt ſenſibilia, illis tamquam nubes erant, prohibentes ne illas cognoſcerent. Nonne miracula viderant? nonne ipſi etiam fatebantur plurima a JESU CHRISTO patrari? *quia hic homo multa ſigna facit?* Nihilominus urgent hunc de medio eſſe tollendum. Cor eorum contra eumdem veneno tumebat, & cauſa erat, ut reliquis omnibus oculos clauderent. *P. de la Colombiere.*

Infelicitas peccatoris quem Deus excæcat.

Non deeſt communis cauſa cæcitatis cordis, nempe ipſe Deus: *ſpargens pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates*, inquit S. Auguſtinus; non quod poſitive peccatorem excæcat, ſed quod illum non illuminat. *Auferetur ab impiis lux ſua*, Job capite trigeſimo octavo inquit. O nos miſeros! quid videre poteſt homo, niſi Cœli lumen affulgeat? quemcumque conatum exerat, infirma ratio illius nihil cognoſcit, niſi gratiæ lumine illuſtretur; ſed frequenter, cum illius ingratitudo Dei miſericordiam fatigaverit, arbitrio ſuo, ſuiſque tenebris traditur, eumque excęcat Deus, ubi non illuminat. Formidabile ſupplicium? Non deſunt tibi, O Domine inexhauſti ultionum æque, ac gratiarum theſauri; elige quod ſupplicium malueris, ut me percutias, ſed quæſo, ne mihi tuum lumen auferas. *Sermo manuſcriptus.*

In ſanctiſſimis etiam domibus adſunt nonnumquam animæ peccato venundatæ, ut Prophetæ verbis utar. Non redargutionibus, non vigilantia, non Sacramentis, non bonis exemplis, non gratia moventur. Obdurantur ab infantia, & nullum pietatis ſenſum concipiunt; neſcio qua improbitate, quæ ipſorum propria eſt, corrumpuntur: licet mortales omnes pœnitentiam agentes intuerentur, illi interitum ſuum nihilominus vellent. Hęc eorum cura fuiſſe videtur, ut a Deo recederent, & callide a ſe removerent, quidquid ipſos ad officium poſſet revocare. Pii, ſanctique ſermones, optimorum virorum conſuetudo, ſapientum conſilia apud illos ſuſpicione non vacant, ubi ad frugem ab aliquo revocantur: *qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo*, Job trigeſimo quarto. Si quid umquam miſeratione dignum eſt; hoc ſane eſt intueri hujus caracteris hominem indocilem fieri, frigidum, omnibus inſenſibilem; ſeipſum indurare, ſuum interitum, ſuamque damnationem majoribus laboribus quærere, quam ſi ſuæ ſtuderet ſaluti. *Pater Cheminais Sermone, quem de ſolemni quadam habuit cæremonia.*

Errores, qui ex cæcitate proficiſcuntur.

Nihil verius eſt, communiter loquendo, quam concupiſcentiam, ubi fortior ſit, excæcare nos in illis objectis, quæ ſequimur. Inde exiſtit fallax illa conſcientia hodierna die adeo communis, ſpecioſis innixa ratiociniis, ex quibus tamquam vallis aliquod ſibi propugnaculum extruit, ut ſe ipſam, vel ab hominum cenſura, vel ab interioribus ſtimulis tueatur. Illinc tot ſimulatæ exiſtunt uſuræ, tot illiciti contractus, tot reſtitutiones neglectæ: Illinc illa affectatio evitandi, quidquid iis in rebus lucem poſſet affere, quam ipſi reſpuimus, ne ea bona, quæ nobis placent, reſtituere teneamur. Tamquam ſcrupuli exploduntur dubitationes validis innixæ principiis, & ii tantum conſuluntur, qui vel infirmi ſunt, vel ignavi, vel qui eadem cauſa verſantur. Illinc tot prodeunt ſimoniæ gratitudinis titulo, confictæ & reparationis prætextu perſonatæ, inde ambages intentionis; totque amoris proprii in nobis fallendis ſolertiſſimi verſutiæ; illinc meditatæ illæ rationes externam ſervandi ſpeciem, ſimoniam cum honore, & citra metum exercen-

di,

di, atque cum pace ſeſe damnandi: illinc tot conſuetudines pravæ, impudicæ, periculoſæ, quæ honeſtæ amicitię vocantur, eo quod illas infringi, noſtra non patitur concupiſcentia: illinc tot licentiæ, & periculoſę, & flagitioſę, quas nobis arripimus, eo quod nobis accidunt perjucundæ &c. *Pater Nepveu in Chriſtianis conſiderationibus.*

Statue, ſi potes, S. Auguſtinus ait, cæcum in medio Solis: ad quid proderunt radii, quibus circumdatus eſt, niſi ut illius cæcitatem inſigniorem efficiant? Solem habet præſentem, ſed illius cæcitas efficit, ut abſit a Sole. Eſto quidem, ſpiritus Dei numquam obduratis peccatoribus ſua lumina deneget; Eſto ſacer aliquis orator eloquentia præditus ſpecioſiſſimam deſcribat animę pulchritudinem, quæ Cœli gratia perfruimur, atque turpiſſimam peccati exhibeat deformitatem, nec non in compendium, & Paradiſi divitias, & horrores inferni tamquam in tabula proponat. Hæc omnia nihil proderunt; cęcus erit, cui non deſunt lumina, ſed deſunt oculi. Hi propter nequiſſimas voluptates contabuerunt; avaritiæ pulvis, vel fumus ambitionis illos excæcant, *P. Texier Sermone de verbo Dei.*

Generale principium cæcitatis plerorumque hominum.

Hoc eſt generale principium voluntarię cęcitatis, & obſtinatæ fidelium ſtupiditatis. Omnes fere animi ægritudinem habent ſibi imperitantem; omnes mordicus adhærent, vel proprio ſenſui, vel objecto, quod ſibi blanditur: quæ cordis corruptio efficit, ut omnino fidei veritates abjiciant. Ita flagitioſi homines, quamcumque expellunt cogitationem, quæ illos torquet, & angit vel hæc cordis depravatio fluctuantem ſpiritum tenet inter veritates, quæ nimis ſunt manifeſtæ, ita ut negari non poſſint, & paſſiones, quæ ſeſe dedere, detrectant. Fidei principia, quæ cum luminibus, ſecretiſque naturæ inſtinctis conſentiunt, ſceleſto huic viro evidens periculum repræſentant, in quo ſalus illius æterna verſatur: Sed paſſio incaleſcens tenebricoſum vaporem emittit, eam charitatem obumbrantem, quæ menti incipit effulgere. *Idem Sermone de cæco nato.*

Voluntas, libere a ſe avertit conſiderationem principiorum, quæ ratio, & fides exhibent ſibi veluti faces, ad ipſam illuminandam. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Præterquam quod, cum voluntas a concupiſcentia ſeducatur, applicat imaginationem, ut objectorum, quæ amat, ſibi formet imagines: Intellectum quoque cogit, ut de utilitatibus, quas ibi nanciſcitur, diſſerat, ita ut anima circumundique iis rebus obſeſſa, quæ corruptæ voluntati blandiuntur, nulla amplius habeat lumina, quibus fidem conſideret. Adde his, vitium quoddam eſſe veluti denſum velamen, quod nos ipſi oculis noſtris objicimus: quemadmodum autem, cum oculis vitta clauſos habemus, non ſolum minime videmus objecta magis viſibilia, ſed neque vittam ipſam oculos cohibentem aſpicimus; ſimiliter cum peccatur, & vitioſus aliquis habitus contrahitur, in eam cæcitatem decidimus, quæ vitium ipſum, ex quo genita eſt, nobis abſcondit. *Idem.*

Quomodo variæ hac de re Scripturarum locutiones conciliari poſſint.

Simul conciliari poſſunt duæ Scripturarum loquendi rationes, quæ inter ſe videntur oppoſitæ; modo enim peccator redarguitur ignorantiæ, dementiæ, ſtupiditatis, cęcitatis, quod in tenebris ambulet, & neſciat, quid faciat; modo vero accuſatur, quod contra ſua lumina peccet, lumini veritatis reſiſtat, propriis cogitationibus damnetur, & ſua conſcientia redarguatur. Hi omnes loquendi modi veri ſunt, & nonniſi in ſpeciem ſibi adverſantur. Peccator videt, & non videt, videt per intellectum, quem ipſi dedit Deus, & qui veritatem cognoſcere poteſt, eamque regere; non videt per cor, quod in ſublimiorem animæ partem jugiter nubes emittit, intellectui caliginem offundentes. *Deſumptum ex moralibus ſermonibus.*

Privatio cœleſtium luminum ſignificat, animam mortuam eſſe gratiæ, quemadmodum lumen corporis mortuum hominem diſtinguit ab eo, qui vitam vivit naturalem. Ideo cum Scriptura verba facit de Ægyptiis tenebris, quæ tenebrarum animæ erant figura, his loquitur verbis. *Vinculis tenebrarum, & longæ mortis compediti .... tremebundi peribant.* Sapient. 17. Quid igitur? tenebræ, quæ ex corporalis luminis privatione procedunt, ſunt mortis indicium; & animæ cæcitas idem non erit? in viventium numero non recenſetur, qui ſolis lumen non videt; quo potiori jure tamquam mortuus habendus eſt, qui lumine gratiæ non fruitur? *Oculi lucis uſu vitam diſtinguunt a morte*, Philoſophus inquit. Cur non idem de oculis animæ dicendum erit? Hoc in ſenſu Regius Propheta Deum orabat, ut ſibi oculos aperiret, eoſque ſuis luminibus illuſtraret: *illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* Pſalm. 12. Cur autem videtur nobis hoc enixius flagitare Propheta? niſi quod viſus, & animæ vita idem ſunt, & alterum omnino pendet ab altero. *Reina ſermone 20. Quadrageſimæ.*

De cæco nato Evangelico.

Me miſeret hujus hominis (auditores) neque ferre poſſum eorum duritiam, qui illum clamare, & conqueri vetant. Cęcus eſt; numquid improbari poteſt cupiditas recuperandi bonum, ſine quo ex Tobiæ ſententia nulla eſſe poteſt in terris voluptas? *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video?* Pſalm. 5. Credo equidem idem eſſe ferme vita, ac viſu carere; & nullum fere diſcrimen invenio inter mortuum, cui oculi clauſi fuerunt, & viventem, qui nonniſi in tenebris oculos aperire poteſt. Verum quamvis hic cęcus re ipſa miſeratione ſit dignus, non deſunt longe plures, quorum conditio miſerior eſt. Eos noſtis (Auditores), Mundus enim hodie magis, quam unquam, hominibus hujuſmodi refertus eſt. Hi illi ſunt, quos Scriptura filios tenebrarum appellat, qui gratię, fideique lumina non ſequuntur, & ut verbo me expediam, qui cæce falſa terræ bona depereunt, qui inania mundi ſolatia ſequuntur, quin reputent, quid faciant & quem finem ſint habituri: *Deſumptum ex manuſcripto ſermone.*

Cæcitas peccatorem quodammodo ſimilem damnatię efficit.

Maximum in hac vita peccatoris malum illud eſt, quod minus ille cognoſcit: vivit in tenebris, & illas ignorat; languet in morte profunda, quin ne animum quidem advertat; concupiſcentia omnes fere in illo faces extinxit, quę eumdem illuminare conſueverunt, rationem, gratiam, fidem, conſcientiam; & caligo animæ illius effuſa adeo denſa eſt, ut vix ambigat, utrum ſint illæ faces extinctæ. O triſtem, depplorabilemque peccatoris conditionem, ſeſe in ſuis ſceleribus indurantis! Dicere poſſumus illius infernum hoc mundo initium ducere: aufert enim ſibi Divinum hoc lumen, in quo Cœlorum pulchritudo ſita eſt, & cujus privatio maxima eſt pœna damnatorum. Actum perfecto de ipſo non eſt; juſtitiæ ſol oculis ejus abſconditus ſeſe adhuc illi poteſt oſtendere, cum damnato nulla ſpes adſit illius iterum videndi: ſed niſi peccator reſipuerit, neque finem impoſuerit ſceleribus ſuis, non aliud erit diſcriminis inter ipſum atque damnatum, niſi quod damnatus ideo infelix eſt, quod ſuam ſentit calamitatem, peccator vero quod eam minime ſentit. *Liber cui titulus: Animadverſiones in aliquot Religionis, & Moralis argumenta.*

Fruſtra peccatori propoſueris rationes omnes, quæ eidem perſuadere valeant eam voluptatem, quæ in ſanctarum rerum conſideratione, ac ſanctitatis exercitatione percipitur: hanc ille non audiet vocem, eamque ineptam eſſe putabit ſpeculationem, qua non movebitur: niſi fuerit expertus ea, quæ ſibi dicuntur; in ſuæ ignorantiæ, atque indocilitatis caligine permanebit. Quod ſervi Dei ſentiunt, illi inutilis eſt experientia, & ſententiam non mutat: præventiones, errores, ſtudia, habitus quibus imbutus eſt, ideam, quam illi vellemus adſtruere, prorſus abjicit. Senſuum voluptatibus aſſuetus, terræ adhærens, ſtudiorum ſuorum captivus, quomodo guſtare poteſt eas veritates, ac illud vitæ genus, quod moribus ſuis ex diametro opponitur? Si voluptas, quæ vitiis inhæret, cum ea ſimul eſſe poſſet voluptate, quæ ſequitur virtutem, non eſſet operoſum, eidem errorem auferre, eumque erudire; ſed omnia deſerat vitia, neceſſe eſt, ut eas puras, ſolidaſque voluptates intelligat, quibus, qui virtutibus decoratur, perfruitur. Fidelis, cui aliqua inſit ſuæ ſalutis cupiditas, contremiſcere debet, ſi adeo funeſtum peccati effectum intelligit. Peccatum apud eumdem numquam omnem ſuæ fœditatis horrorem amittit; ſed omnes virtutis illecebras abſcondit, & delet. *Idem.*

Excæcati veritatibus Religionis non moventur.

Si minima etiam veritatis lux affulgeret, ſi fides vel infirmiſſimum radium ſuum effunderet, vel ſi oculi eſſent aperti, ut eum viderent; ſi ſoli etiam naturali rationi præberentur aures; fieri non poſſet, ut cor religionis noſtræ veritatibus non quateretur. Dubitaretur, & in horribili hac dubitatione, conſiderationes orirentur, exclamaret conſcientia; ſed in hac profundæ mortis caligine, in qua

qua ſepultus eſt, in hac umbra mortis nihil videt, nihil cogitat, peccatum ſuum fovere cupit, ea quærit, quibus ali poteſt, hujuſmodi tantum rebus afficitur. O juſtum, ſed terribile ſupplicium Dei ita etiam peccatorem punientis!....cur videmus, præſertim autem in mundo tot homines, qui nihil metuunt, in flagitioſiſſima vita lætiſſima cordis pace, omnique vultus ſerenitate fruuntur! quia Deus inebriavit illos vino furoris ſui, eoſque ebrietas ſomno alto ſepultos tenet. Loquere dormienti, te non audit; illi oſtende præcipitium, quo lapſurus eſt, illum non videt: fac ut in obduratorum auribus reſonent terribiles cœleſtium fulminum minæ ſæviſſimęque ſententię; aures ne præbent quidem, ſub oculos eorum infernum pande, fac ut ardentes prunas, & inextinguibiles ignes digito tangant; ne ſentiunt quidem. Obſtupeſcerem equidem, ſi cauſa lateret: verum Propheta docet, Deum in illos immiſiſſe ſoporem. *Miſcuit vobis ſpiritum ſoporis.* Iſaiæ c. 29. *P. Girouſt in adventu ſuo Sermone de falſa pace conſcientiæ.*

Hoc Dei conſilium peccatorem excæcandi, atque indurandi ſeverum profecto eſt: verumtamen peccator jure conqueri non poteſt; hic enim naturalis eſt frequentium rebellionum, & ſuæ obſtinationis effectus. Si Deus illum ſollicitare, & urgere ceſſat; tunc ceſſat, poſtquam fruſtra nihil intentatum reliquerit, ut illum urgeret, atque ſollicitaret. Sed tandem tempus meum advenit, Salvator ait, & perquiſitiones meæ ad hoc uſque tempus nimis fuerunt inutiles, quam ut eas perſequi debeam. Monita mea tibi moleſtiam inferunt; iterum non monebo: quidquid dico diſplicet tibi, ſilebo, vitam ſine turbis vives; quandoquidem ita vivere vis. Fruere, uti lubet, iniquitatibus tuis, uſuris, concuſſionibus, divitiis, impudicitiis; corona caput tuum roſis, ut impius, tranſi de voluptate in voluptatem ſemper contentus, vel contentum videri geſtiens: fictę huic felicitati tuæ non amplius obſto: illam vis, illam habebis, ſed præſtolor finem. Victima jam devota ſaginare, ut pinguiora præbeas alimenta flammis, quibus es abſumendus; jam oculos vitta vinctos habes; jam ad aram accedis. Hic erit finis ſpecioſæ illius quietis, qua frueris. *Idem.*

Peccator excæcatus ſceleri aſſueſcit.

Hic eſt proprius character peccatoris in cæcitatem delapſi, ut in Dei offenſione ita conſueſcat, ut citra horrorem eam deinceps intueatur. Labitur in improbe facta, aliquando ea meditatur, illis ſe præparat, longas nectit ambages, ut cedant e voto, præſtolatur, & eadem explendi tempus, & occaſionem expectat. Eorum intelligit circumſtantias & effectus prænoſcit, calliditate utitur, ut tuto quo contendit aſſequatur. Sapientes homines illius facta condemnant, at ipſe eorum judicia contemnit: obices invenit, at illos infringit; ipſum redargutionibus ſuis ſua conſcientia diſcerpit, obſtupeſcit: peccare vult, peccat: eo in motu quo rapitur, nihil illum valet coercere. Non ambigit, immo neque poteſt ambigere utrum improbe factum, quod meditatur, rationem lædat, & Deum: numquid erubeſcit? nequaquam agit ſine repugnantia, & ſine metu, immo cum gaudio, & feſtinatione. Excogitarine poteſt apertius cæcitatis indicium? *Liber cui titulus Animadverſiones in varia Religionis, & Moralis argumenta tomo 3.*

Hic ſtatus eſt plerumque hominum, qui mundi voluptatibus irretiti ſunt; poſtquam viginti vel triginta annos in ſceleribus conſenuerint, nulla re amplius turbantur, & æque tranquille moriuntur, ac ſi vitam omnem in auſteriſſimæ pœnitentię exercitatione tranſegiſſent. *Hoc non facit amor, ſed ſtupor.* Securitas iſta non ex charitate, ſed ex ſtupiditate procedit, Sanctus Bernardus *lib. de Grad. humil.* ait; cæcitas, obduratio, impœnitentia, Divinarum, humanarumque legum contemptus in hanc impellunt calamitatem. *His cæcitas dat ſecuritatem.* Plurimos annos in ſordibus ſuis volutantur, jam animam ſunt efflaturi, nullus ipſis metus eſt, nullus terror, atque Hieronymis, & Hilarionibus præ timore tabeſcentibus, ipſi intrepidi ſunt, atque in impœnitentia moriuntur. *Joly in 3. propoſitione de Jubilæo.*

Mentis cæcitas ſæpe ex affectibus illam obumbrantibus oritur.

Ita Scribæ, & Phariſæi ſeipſos excæcabant in medio magnorum luminum, quæ haurire poterant ex præceptis, & verbis gratiæ & Salvatoris ore emanantibus, & quæ ipſi etiam non admirari non poterant. Furenti quippe in ipſum invidia præoccupati, atque metu perculſi, ne propter ingentem doctrinæ ejuſdem ſplendorem inanem doctrinę ſuæ fulgorem amitterent, in id unum incubuerunt, ut eumdem dedecore afficerent, & omnino perderent; rati ſe ita poſſe tueri eam, qua fruebantur, nominis exiſtimationem, tamquam temporum ſuorum doctiſſimi, atque ſapientiſſimi. Duplex hic invidiæ, & ambitionis effectus illis ita potius eſt, ut ne amimum quidem adverterent iis veritatibus, quas JESUS CHRISTUS nunciabat. Hæc fuit cauſa cæcitatis illorum earumque tenebrarum, quę toties effecerunt, ut Salvatoris luminibus reſiſterent: hoc etiam pacto affectus quotidie eorum mentes obſcurant, quorum cor poſſident, eique dominantur: & alterius corruptione, alterius fallendi, & corrumpendi viam nanciſcuntur. *P. Campigny ſermone de animæ cæcitate.*

Cæcum eſſe, Sanctus Auguſtinus ait, magnum profecto eſt malum; ſed ſi cæcus non ambulas, ſaltem impingendi, vel ceſpitandi periculum fugis; vel ſi lento ſolum gradu incedis in æqua, ſtabilique via, non magnum tibi periculum inſtat; ſed peccator in ſuæ cæcitatis ſtatu eſt adeo infelix, ut non ſolum in obſcuritate inveniatur, ſed ambulare cogatur in lubrico, ubi hinc inde plurima ſunt præcipitia: & ibi non lento gradu, quem prudentia ſuadet, incedere, ſed ea ferri pernicitate, qua jubet impotentia terribilis hoſtis a tergo urgentis, ac ne ſpatium quidem ſpiritum ducendi relinquentis. Quomodo vero, pergit Pater idem, peccator medius incedens in tenebris, & in lubrico in præcipiti abyſſi alicujus margine, perſequente Dæmone ultricis Divinæ juſtitiæ miniſtro, quomodo fieri poteſt, ut eo in ſtatu ſæpius non ruat, & de ſcelere in ſcelus non cadat, atque repetiti lapſus illum in dies magis magiſque venia indignum minime efficiant. *Idem ex Sancto Auguſtino.*

Peccatorum cæcitas inſaniæ comparata.

Sancti Patres magnum illud agnoſcentes deſcrimen, quod inter animi, corporiſque ægritudines intereſt, ubi exhibere volunt horribilem peccatoris cæcitatem, hunc phreneticis comparant. Phreneſis non corpus ſolum, ut reliqui morbi, verum mentem etiam invadit, eam obſcurat, atque agitat, ita ut homines hujuſmodi nequaquam ægros ſe eſſe affirment, medicis ipſis, ad ſe accedentibus, ut afferant medicinam, percutiendis parati: *phreneticus æger morbum amat, & pellit medicum.* S. Proſper ait. Ita peccator excæcatus mente, & voluntate corruptus, non ſolum pro bono malum, proque malo bonum accipit, tenebras pro lumine, & lumen pro tenebris, ſed amat malum ſuum, iraſcitur in illos qui mederi volunt, nec magis unquam eſt æger, quam cum bene ſe habere opinatur. Neque audeat aliquis illum, in quo verſatur, ſtatum eidem oſtendere: namque non ſolum ille non credet, ſed in illos inſurget, qui medicinam cupiunt afferre; ſua enim in malo pertinacia ipſum omnino incurabilem efficit. *Liber cui titulus Chriſtianæ inſtructiones pro decima octava poſt Pentecoſten Dominica.*

Adſunt quidam, quibus non deſunt lumina, immo quibus ſatis luminis eſt, ut alios illuminent; ſed non utuntur illis, & cor eorum ita corruptum eſt, ut quin faciant bonum, quod norunt, illud oderint, & hæc cognitio illos magis irritet, ac torqueat. Impatientia, quam ipſis injicit hic dolor, efficit ut omnem collocent induſtriam oculis veritati claudendis, ita ut, ſi quam adhuc habent peccati, quod committunt, cognitionem, hanc habeant inviti, eaque tenuis ſit atque imperfecta, neque ſatis habeat virium, ut illorum lapſum impediat. Seſe tradunt fallacibus amoris proprii rationibus: affectus, qui eorum cordi imperitat ſtatim dominatur, & menti; ac tandem nihil prohibet quominus omnibus incompoſitis deſideriis ſuis ſe penitus tradant. Ideo nihil melius oſtendit extremam illam impotentiam, ad quam homo iſte redactus eſt, quam videre, quod licet multum luminis habeat, hoc nihil prodeſt, ubi ipſius convaluerit concupiſcentia: quotidie namque videmus illuminatos homines fere numquam ſecundum ea, quę habent, lumina operantes. *Monſieur de Saint Marthe tom. 1. tractatuum ſuorum cap. 3.*

Vitia, & mala quæ ex cæcitate proficiſcuntur.

Cordis corruptio mentis cæcitatem ſemper concomitatur. Quomodo ergo aſſerit Evangelium, noviſſimis temporibus in mundo vix aliquam fidei ſcintillam reliquam futuram; neceſſario opus eſt, ut qui Divino lumini clauſerunt oculos, deinde opera tenebrarum efficiant, ut illi, qui mendacium in Divinæ veritatis loco conſtituerunt, tradantur in turpes affectus, & cordis ſui deſideria, ita ut

in

BIBLIOTECA CENTRAL

in omni iniquitatum, impuritatum, avaritiæ, & nequitiæ genera corruant, ut invidi fiant, homicidæ, deceptores, maledici, calumniatores, ſuperbi, ſine charitate, ſine fide, ſine miſericordia Dei, hominumque inimici. Verum eſt, Sanctum Paulum 2. *ad Timoth. cap.* 3. hæc vitia Philoſophis Ethnicis tribuere, qui vere erant cæci; Verum nihil minus ait de Chriſtianis carnalibus, qui ſub ſæculorum finem Eccleſiam ſunt repleturi, cum eorum affectus in horridam hanc cæcitatem illos dejecerint. *Idem*.

Amor proprius fictorum luminum, falſarumque rationum fons eſt, neque illi deeſt induſtria, qua nos ad illas probandas licet ineptiſſimas inducat. Quamvis illæ ſint monſtruoſæ mentis productiones, eæ tamen apertiſſimis, conſtantiſſimiſque veritatibus a nobis præferuntur; illas amamus, quia ex corde noſtro ortum ſumpſerunt, & quod amamus, noſmet illis ſubjicimus. Quicumque hoc nefario caractere præditus eſt, in maximo ſalutis ſuæ periculo verſatur: prout enim magis, magiſque peccat, adoleſcunt affectus, ac tenebræ ipſæ increbreſcunt, quæ cum percrebuerint, auferunt illi neceſſaria ad ſalutem lumina, ac penitus in ejus corde, quidquid ibi reliquum eſt pietatis extinguunt. *Idem*.

Ne flagitiorum cœno alte demerſis turbam adferat gratiæ motus, hic eo uſque contemnitur, donec fallax conſcientiæ ſecuritatem comparatur. Sero pervenimus ad hanc cæcitatem, quæ arctius eſt cum reprobatione conjuncta, ſed quemadmodum ſpiritus, ut plurimum, a corde reducitur, ſtudemus ea non videre, quæ facere volumus, e. g. ludum amamus, vel noxio aliquo tenemur affectu, quidquid hunc turbare vult, tamquam quietis noſtræ inimicum reſpicimus. Nihil relinquimus intentatum, ut conſcientiæ inani metu perterritæ ſtimulos amittamus .... Contra rationem ipſam inſurgimus, ubi falli gaudemus, & error quicumque affectum noſtrum fovet, eique blanditur, magnas habet illecebras. *P. Croiſet in Conſiderationibus ſpiritualibus*.

Quam communis ſit in mundo cæcitas.

Nihil frequentius in mundo videtur, quam homines cæci ſimul ac ſurdi. Hoc malum fere univerſale eſt, atque affirmare poſſumus, pleriſque fidelibus, neque oculos eſſe ut videant, & cognoſcant veritates, neque os, ut alios edoceant. *Os habent, & non loquentur; oculos habent, & non videbunt*. Pſal. 113. Alii erudiri non cupiunt, fugiuntque cognitionem regularum, & dogmatum, quæ ſibi eſt maxime neceſſaria: alii hæc audiunt, & vident, hæc illorum oculos afficiunt; verum cum non afficiant cor illorum, neque ullum in operibus ipſorum deprehendatur earum veritatum indicium; hujuſmodi homines, tamquam veri cæci habendi ſunt. Si eorum oculi ſunt clauſi, ſi non utuntur illis, uti deberent; opus eſt, ut linguam eorum ita vinculis adſtrictam eſſe, ut loquela careant, quemadmodum carent intellectu. Quomodo enim loquantur, ſi nihil didicerunt: quandoquidem dicere id ſolum poſſunt, quod ſciunt? Ita cæcis & mutis mundus refertus eſt; ita in iis, quę ad Deum pertinent, altum ſilentium eſt. Sanctorum dogmata, quę æque deberent eſſe in labiis, atque in operibus fidelium, qui JESU CHRISTI nomine inſigniti ſunt, prorſus ſilentur. Abſconditur id quod proferendum eſt, & quiſque more ſuo quemadmodum variis agitur rationibus, deplorabili ratione deceptus ſibi, religioni non vertit detinere veritatem in ſilentio, & injuſtitia: *Veritatem Dei in injuſtitia detinent*. Ad Rom. 1.

SUPPLEMENTUM.

Cæcitas voluntaria non excuſat a peccato.

ÆQua peccati excuſatio non eſt cæcitas, ſi voluntaria ſit; & inde fit, ut qui ex mera peccant nequitia, ſemper aliquam adjunctam habent ignorantiam; ſed ignorantia, quæ actionem dumtaxat eſt concomitans, non præcedens, illam juſtificare non poteſt. In hoc ſenſu Sapiens aſſerit eos, qui peccant, errare; & huic innititur principio celebre illud Philoſophi axioma, omnem peccatorem eſſe ignorantem. Generatim igitur de peccantibus dici poteſt illos neſcire, quid agant. Et profecto nemo vult malum quatenus malum: quia objectum voluntatis non eſt bonum, vel malum, ſed bonum dumtaxat: & quicumque in malum fertur, non amat malum, niſi quod illud ſibi proponit tamquam bonum, & maximum bonum. Error, in quo eſt, & eſſe vult, proficiſcitur ex perturbatione affectuum ſuorum, quibus ita excæcatur, ut oculis ejus faſcinati non videant niſi modicum illud boni, quod in objecto, in quod fertur, invenit. Ita qui vult adulterium patrare, vel furtum; numquam in corde ſuo pravum hoc concipere poſſet conſilium, niſi proſpiceret tamquam verum bonum impuram voluptatem, vel injuſtum lucrum, quod in adulterio, vel furto invenitur; & niſi detorqueret oculos ne videret verum malum, quod adhæret impuritati, atque injuſtitiæ. Omnis ergo peccator ſimilis eſt homini volenti ſe præcipitem dare in fluvium, qui oculos claudit, antequam ſe in illum projiciat. Qui malum operatur, fugit lucem atque ſibimet abſcondere adnititur. Verum cum ejus ignorantia ſit adfectata, & voluntaria, inanis eſt illi excuſatio ob hanc ipſam cauſam, quia eſt voluntaria. Cur ergo Salvator Patri ſuo dicit; ignoſce illis, neſciunt enim quod faciunt? Reſponderi primum poteſt, illum pro carnificibus ſuis oraſſe, qui fortaſſe neque illius dignitatem, neque innocentiam noverant; & qui executi tantum fuerant ſententiam in illum latam. De his procul dubio dicere poterat: *Ignoſce illis*, quod enim faciunt, neſciunt. Secundo vero, ſi pro nobis orabat, qui nondum creati eramus, vel pro infinitis peccatoribus aliis, qui procul aberant a Jeruſalem, hi ſane minime norant quid ibi terrarum fieret; & verum eſt dicere, licet nos extiterimus cauſa Paſſionis, & Mortis illius, nos ignoraſſe tamen illud malum, quod ipſi inferebamus. *Cardinalis Bellarminus in Septem Jeſu Chriſti verba de Cruce*.

Vera cauſa Cæcitatis peccatorum.

Cum Deus ſit lumen increatum, non poteſt eſſe cauſa poſitiva cæcitatis peccantium; neque enim ſolis effectus eſt terram nubibus obtenebrare, ſed potius lumine ſuo perfundere. Nihilominus quemadmodum contingit, ut hoc aſtrum nos in tenebris relinquit, vel quia ipſi claudimus oculos, vel quia ipſum recedit, & ſe nobis abſcondit; ſimili ratione per ſummam infelicitatem, quam ipſi nobis promeremur, Mundi Salvator animam in obſcura nocte relinquit, non per realem erroris mendacii productionem, quod illius repugnaret Sapientiæ, ſed ob unam ex tribus hiſce cauſis, videlicet ob ſuam nequitiam, qua obicem ſtatuit gratiæ Dei, vel quia hac abutitur nimium in ſuis viribus confidens, & in divina bonitate præſumens, vel quia ipſe Deus ſuas ſubtrahit gratias puniens ſcelera, quæ eamdem favoribus ſuis præbent indignam. Hoc certe innuunt hæc Filii Dei verba: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*. Verum eſt, Dei Filium eſſe Mundi lumen: *Quamdiu ſum in mundo: Lux ſum mundi*; ſed lumen eſt voluntarium, quod non agit per motum neceſſarium. Sol, D. Thomas ait, agit ex quadam naturali neceſſitate, mundum illuminans: Deus autem Judicio æque libero ac æquiſſimo gratię ſuę lumen non communicat illis, qui eidem aliquod impedimentum objiciunt, propter quod in terribilem incidunt cæcitatem. Tenebras tantum vident; de tenebris migrant in tenebras, quin ſciant, quo precipites ruant. Miſeri, idem Pater ait, quia neſciunt quod amittunt; & longe adhuc miſeriores, cum illud ſciunt; quia apertis oculis, & videntes, viventeſque ruunt in infernum. *P. Novet in Medit.*

Joan. 9.

Ibidem.

Solil. c. 14.

Nequiſſima & periculoſiſſima cæcitas illa eſt, quam libidines, & vitia corporis gignunt.

Maxima Spiritus ægritudo, teterrima animę cęcitas illa eſt, quæ ex corporis contagione procedit, quod conſuevit ad bruti imaginem redigere hominem, eumque imparem facere, qui æquiorem de ſalute ſua fovere valeat cogitationem. Hic puteus eſt abyſſi, unde hæreſes, impietates, ſuperſtitiones, licentia, atheiſmus erumpunt. Peccator, qui miſere illic vinctus jacet, ſimul Dei memoriam amittit, & cum memoria metum judiciorum illius, & beneficiorum ejus recordationem. Amittit ſui ipſius cognitionem, & ignorans miſerrimum ſtatum, quo vita flagitioſa illum adducit, eo calamitoſior eſt, quo minus ſuam novit calamitatem. Cum enim ſit cæcus in ſceleribus ſuis, cæcus eſt etiam in pœnis, quas meretur, & non videns graviſſimas pœnas, quas ſibi conflat, de illarum evitandarum ratione minime eſt ſollicitus. Quod accidit Pincernæ Pharaonis imago eſt, inquiunt Interpretes, rei illius, quę electis ſimul, reprobatiſque uſuvenit. Reprobi quidem ſarcinam ſuam geſtant in capite, quin videant illam; Electi vero ante pectus eas deferunt, & vident. Quid inde? Electi a periculo ſeſe ſubducunt, reprobi vero in ruina ſua perſeverant. Seſe humiliant Electi, lacrymiſque,

Hugo Carenſis.

que, & precibus ſuis divinam flectunt miſericordiam; reprobi abjiciunt criminum ſuorum verecundiam, cum illorum cognitione; & ſicuti nox animos facit furibus, ita cæcitas ſua illos efficit impudentiores audacioreſque in criminibus ſuis multiplicandis, quæ tandem Dei provocant iracundiam, eumque cogunt, ut ille in ipſos ſeveriſſime animadvertat. *P. Novet in Meditationibus*.

De mentis cæcitate ratiocinari poſſumus ut de cæcitate corporis.

Autumo ex regulis de cæcitate oculorum corporis, canones quoſdam hauriri poſſe ad humanæ mentis cæcitatem; eo quod ſi corporis cæcitas eſt carentia principii viſionis corporeæ, animæ cæcitas ſit illius privatio, quod in nobis eſt principium mentalis cognitionis, & viſionis intellectualis. Tria autem invenio principia, quæ viſionem corporalem rei alicujus conſtituunt. 1. Lumen, quod nobis rem hanc oſtendit, atque demonſtrat; 2. Objectum quod videndum eſt. 3. Animę ad rem viſam attentio. Ille, cui unum ex tribus his deeſt, videre nequit, & cæcus eſt. Quoad primum lumen hoc gratia eſt, idque eſt perſpicuum. Secundo requiritur imago objecti, illud, quale eſt, repreſentans. Animæ cęcæ magna pro parvis, parva pro magnis uſurpant. Plurimi faciunt mundana, minimi ſpiritualia. S. Paulus vere optimam habuit videndi facultatem, ut terrenorum objectorum vanitatem agnoſceret, cœleſtium vero magnitudinem. *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam*.... Præter objecti imaginem, attentio etiam, conſideratio, & animadverſio requiruntur ad viſionem de divinis habendam. Ubi S. Thomas ait, ſpiritum cogitantem, atque attentum, totius felicitatis eſſe principium. Ppiloſophi quoque docent, idque nobis teſtatur experientia, ſeſe diligenter in actionibus ſuis obſervare, & curioſum habere ſemet obſervandi principium, non poſtremum eſſe, neque inutilem bene vivendi canonem, qui valeat inveniri. O Deus! quid non aſſequeretur veritas ſatis explanata, qualis hæc eſt; Deum ſuo obtutu quamlibet ex actionibus noſtris illuſtrare! Æternitas beatitudinis, vel cruciatuum, ab uno tantum pendens momento! Profecto unum ex his principiis, ſi recte intelligatur toto cœlo majorem habebit vim, quam decies centena millia cognitionum, & conſiderationum levium, quas humana mens de tot variis argumentis poteſt efficere. *Pater Antonius de Sancto Martino a Porta*.

Aurei vituli cultus ſatis apta figura eſt cæcitatis animæ.

Ullane aptior efferri poteſt imago cæcitatis animæ, quam aurei vituli, cui thus obtulerunt Iſraelitę? Deus de Ægypto populum iſtum eduxerat, per ea prodigia quæ Moyſes Pharaone inſpectante patraverat; ſed inde egreſſi non recordabantur amplius mirabilium quæ in eorum gratiam Dominus fuerat operatus. In locum veri Dei aureum vitulum ponunt. Niſi hoc teſtaretur Scriptura, vix hoc credi poſſet? Quid, poſt tot miracula, & gratias pro Deo ſibi vitulum aureum proponere, Deum eumdem, quem colebant Ægyptii adorare! Ita eſt, poſtquam anima in tenebris eſt, dęmon illam quocumque ſibi libitum fuerit, circumagit. *Idem*.

Ut ſalvemur cooperari nos oportet cum gratia Dei.

Memorat Scriptura, Ægyptios in horrendis tenebris, quibus percuſſi fuere, de loco numquam ſe moviſſe. Hæc Vera eſt imago animarum, quæ per peccatum in tenebras ſe conjecerunt; ubi tandem hac pervenerunt nil amplius agunt. Non ita pridem actiones adeo ſublimes operabantur, adeo ſpiritualibus Meditationibus vacabant, altiſſimos de Majeſtate Dei ſenſus fovebant; hodie vero nullum motum exerunt. Cur non ut olim agunt? Seſe tenebris immerſerunt ex quibus non valent ultra ſeſe recipere. Ratio eſt, quia anima, ut ſuę ſaluti proſpiciat, cooperari debet gratiis Dei per ſuam voluntatem; quæ cum per ſe cæca ſit, numquam fertur in bonum, niſi Deus illi cognitionem ejus immiſerit. Hac igitur, ſi deſtituitur, jam ſubſiſtit, quin poſſit pedem amplius cœlum verſus proferre. *Idem*.

Obſcuritas velum eſt, quo Dæmon peccatorem involvit, ut fallat.

Origenes ait Dæmonem noctis angelum vocari, vel Principem tenebrarum; quia ſuum exercet imperium in tenebris cæcitatis cordium. Ignorantiæ, erroriſque tenebræ efficiunt ut in peccatores dominetur: quis enim dæmoni ſervire vellet, ſi apertos haberet oculos ad nequitiam illus videndam, & cognoſcendam? Quis legibus illius obtemperaret, ſi earum injuſtitiam, & pœnas, quarum ſunt cauſa, cognoſceret? Peccatum ita eſt deforme, ut auferre ſatis ſit velum, quo tegitur, ut ejuſdem horror concipiatur. Dæmon peccati auctor adeo eſt odibile, ut ſi ſeſe proferret, omnium in ſe odia, horroremque converteret. Verſutiæ igitur illius eſt tenebris uti, ut decepti vitium loco virtutis recipiant. *P. Antonius de S. Martino a Porta*.

Quid ſit cordis obduratio.

Obduratio cordis nil aliud eſt, quam defectio quædam atque rebellio cordis humani, per quam adverſatur, & obſiſtit iis omnibus, quæ a Deo ſibi accidunt: Hæc proprie eſt neſcio quædam ſtupiditas, ſenſuumque carentia, habitualis animæ ignavia, quæ efficit, ut illa non ſentiat amplius interiores plagas, & irreparabilia detrimenta, quæ ſibi peccatum infert, & hæc minimo habet in diſcrimine, perinde ac omnia conſcientiæ ſuæ negotia in optimo ſtatu invenirentur, ita ut ſicut Medici dicunt, ſi qui ægro ſunt corpore non ſentiunt amplius morbi ſui vim, malum ſit omen, quia eorum ſanitas jam complorata eſt. Simili pacto ſi animæ ſeſe mancipant vitiis, ac in ſceleribus ſuis vitam trahunt ſine ullo ſenſu, quin Dei, conſcientiæque ſuæ meminerint, non immerito dicere poſſumus illas in magno reprobationis ſuæ periculo verſari. Quod melius innuit Jeremias: *Percuſſiſti eos; & non doluerunt; facies eorum ſicut petra, & noluerunt reverti*. *Idem*.

Deſcriptio cordis in ſceleribus indurati.

S. Bernardus deſcribit induratum hominem, cum ait animam illius flecti precibus non poſſe, non deterreri ſuppliciis, & promiſſionum ſuarum fidem non præſtare. Contritio illam non abjicit, tormenta illi formidinem non incutiunt. Illi ablata eſt omnis ſpes ad Deum redeundi. Illius vulnera curari non poſſunt ultra; ſuis ſunt remediis validiora. Cor, quo animatur æque durum eſt ac marmor, & duritie fabrorum incudem ſuperant; quæ invicem repetitis ictibus percuſſa, numquam molleſcit. Similiter cor iſtud indeſinenter gravi divinæ juſtitiæ brachio tunditur, ſed incus eſt obſtinationis nullis umquam ictibus, vulneribus, monitis, prædicationibus, minis, Dei afflatibus flectenda, ad contritionem eliciendam ſtupidum, ad opera bona infructuoſum, per rebellem voluntatem immobile, & obſtinatum ne umquam agendi, vivendique rationem immutet. *Idem*.

Conſcientia, ratio, prudentia ſufficiunt homini, ut Spiritualem cecitatem evitet.

Tria deprehendo in homine nitentia ſydera, conſcientam, rationem, & humanam prudentiam, quę in vitæ hujus nocte ſuum nobis præferunt lumen, & hæc tria ſunt, quæ nos inter, ſolemque interpoſita, noſtras tenebras pariunt. Cæci ſumus, ubi de ſalute agitur, quia nimis luminibus noſtris abundamus. Horum luminum primum eſt noſtra conſcientia, quæ quidem aliis ſol eſt omnia illis manifeſtans, aliis vero luna eſt, per viciſſitudines, atque intervalla renidens aliquando magis, & aliquando minus; ſed ſemper ſaltem eſt fax accenſa, quæ nos illuminat, & oſtendit quidquid bonum, vel malum eſt. Et profecto ſi hanc volumus auſcultare ſynderesim, hæc ſaltem nobis illud reſonat, *Non licet tibi*; quod olim Joannes Herodi dicebat, Nihilominus hodierna die pro virili omnes extinguere conantur naturale hoc lumen, & hanc corrumpere, atque ita in ſumma officiorum noſtrorum cecitate moramur. Hinc cum non poſſimus diu huic ſynderesi reluctari, aliam nobis effingimus erroneam: quæ efficit, ut alacriter & conſtanter per nefarium hoc principium in mala omnia ruamus, *P. Antonius de S. Martino a Porta*.

Graviſſima etiam ſcelera ſuas habent excuſationes.

Hodierna die vitiis omnibus excuſationes inveniuntur. Nulla eſt amplius Symonia, nulla uſura. Singularia probantur certamina, nec deſunt rationes dignæ laude. Ipſa etiam adulteria in ſæculo probantur, excuſantur tamquam illecebroſæ feſtivitates. Primus Angelus in Deum rebellat, & ſe jure hoc facere arbitratur. Deus illi oſtendit Divinitatem cum humanitate eſſe conjungendam: ægre hoc fert; & ſi hic honos ulli creturæ debet accidere, illum ſuæ præ cæteris debitum eſſe arbitratur. Peccat Adam, & putat, ſe jure peccare; dediſſet ne mihi Deus conjugem niſi voluiſſet me illi morem gerere? Precepit Deus Sauli, ut Amalecitas omnes occideret, & ad internecionem gentem illam deleret; Saul mandatum infringit; prętexens ſe velle inde offerre Deo Sacrificia. Abutitur David uxore proximi ſui, & hanc affert cauſam, bona, honeſtatem, & corpora ſubditorum ſuorum ſui juris eſſe. Omnes denique non ſine prętextu damnantur. Virgo ſe alienę mancipat libidini cauſata paupertatem ſuam, cum nequeat labore manuum ſuarum victum ſibi comparare. Ipſa fornicatio patratur, & prætexitur cauſa, per illam nemini injuriam fieri. *Idem*.

Infelix ſi-

Quam miſer eſt ſtatus animæ traditę ſuis concu-

BIBLIOTECA CENTRAL

tus animæ ſibi traditæ.

cupiſcentiis, & in reprobos ſenſus, qui illam in ſexcenta flagitia, & in omnem cordis pravitatem trahunt! Malum hoc a S. Auguſtino vocatur *Frigus Dei*; quia paſſim cum amicitia intepuit, dicimus; hic meum agit frigide: ita poſtquam pertinaciter clauſum fuit cor omnibus luminibus, & motibus gratiæ, qui ad bonum excitabant; Deus tandem retrahit ſuas gratias, ſe coarctat, & non agit niſi cum frigore quodam, quod animæ deplorabilem portendit calamitatem; frigius quod mortis umbra poteſt appellari: nam ſicut umbra defectus eſt, vel luminis privatio; ita umbra mortis eſt luminum eorum defectus, quæ ad bene agendum ſunt neceſſaria; defectus, qui adducit uſque ad mortis articulum; ita ut in mente non aliud inveniatur, niſi obſcuritas, in corde vero, omnibuſque cogitationibus perverſitas. *P. Antonius a S. Martino a Porta.*

Hypotipoſis cordis obdurati. Exemplum Pharaonis. *Lib. 1. de Conſid.*

Audiamus, quid dicat S. Bernardus de anima dura, & inflexibili. Anima hæc, laudatus Pater ait, ſola eſt, quæ ſui horrorem non habeat, quia non ſentit amplius duritiam, in qua eſt. Sed quęnam hæc eſt obduratio? illa eſt, in qua cor illius omni jam ſenſu deſtitutum, non frangitur contritione, non flectitur devotione; non mollitur precibus; non allicitur beneficiis, bonis conſiliis ſe regi non ſinit. Denique ſtatus eſt, ubi nullus eſt Dei timor, neque hominum ratio. Hoc olim viſum eſt in Pharaone. Hic adeo pertinaciter Dei imperata facere detrectabat, ut quo gravioribus plagis cœlitus afficiebatur, eo impotentius in Cœlum inſurgeret, & quo magis Divina bonitas per clementiam illum ad officium revocare ſtudebat, ille magis magiſque infinitam hanc bonitatem negligeret, & aſpernaretur. Nihilominus quantumvis durum ſit cor, una ſatis eſt divini amoris ſcintilla ad illud molliendum, immutandumque ceræ inſtar, ut cor lapideum in carneum convertatur; & ex quo Dei Spiritus perflat, illius quævis licet ſolidiſſima glacies, liqueſcit. *Cardinalis Bellarminus in Opuſculis.*

Cæcitas, & obduratio ſunt effectus licentiæ, & vitiæ flagitioſæ.

Mentis Cæcitas ſubſequitur pietatis carentiam, & obduratio ſequitur hanc cæcitatem. At ullane intercedunt intervalla? Aliqua ſane! Primum quidem aliqui ſentiuntur morſus, per primarum harum nebularum opacitatem detegitur veritas; ſed ſomnus amatur, ne malum ſentiatur. Id, quod ſtuporem injicit, habetur tamquam omnibus hiſce tumultibus medicina. Novus hic impius nequior fit per electionem, ac ſtudium, ne per rationem magis Chriſtianus efficiatur. Sentit illa ſexcentos ſalubres aculeos? hos retundere quærit. Quo magis illum turbat gratia, eo magis dilabitur. Quærit jugulare interiorem conſcientię vocem tumultu; affectionum ejus impetus ſunt conatus, quos exerit, ad ſecretas ſuas exprobationes mulcendas. Quo magis torquetur, eo ſe agitat magis. Immodicæ illius ebrietates, & in omnem libidinem offuſiones nova ſunt novorum aculeorum argumenta. Hinc publica illa impudentia, quam ipſi vetuſtiores impudici perhorreſcunt; hinc publicæ libidines, quas ipſi etiam impii execrantur; hinc furentes illi impetus in eos, qui pietatem profitentur. Ferre nequit mutos hoſce cenſores: quaſi ſolus pii hominis adſpectus illi afflaret phreneſim, excitans in illo ſexcentas reprehenſiones, ſexcentaque involuntaria deſideria terribilis mutationis ipſius. Ex hujuſmodi animæ morbis convaleſcitne? ex miſerrimis hiſce erroribus ſeſe recipit? Quotuſquiſque ex his devotis, qui liberiores evaſere, ſeſe convertit? Mors quidem illis terrorem injicit; interni tumultus illos in deſperationem detrudunt, raro autem ad veram pœnitentiam adducunt. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Nulla obdurato peccatori remanet via revertendi ad Deum.

Quo pacto hominis cęci, & indurati cor flecti poteſt? Proſpera, & benificia illud corrumpunt; tribulationes illud non mutant, & ſæpe etiam propter murmurationem nocentius efficiunt. Illi igitur mors eſt inferenda, ut finis ejuſdem nequitiæ conſtituatur; vel quod terribilius eſt adhuc, ille ſibimet deſerendus eſt, ſcilicet in reprobum ſenſum, corrupta deſideria, turpes affectiones tradendus: homo enim ex ſe nil aliud producere poteſt. Mors utilis eſſet indurato peccatori, quippe quæ finem injiceret iniquitatibus ejus, & in altera vita minus eſſet infelix. Hic eſt cumulus malorum, quod Deus per patientiam ſuam in terris illum ſibi derelinquit, quia ſibi congregat theſaurum iræ in omnem æternitatem. Hæc deſtitutio a Deo facta, eſt gratię ejus ſubtractio, & conſilium initum de relinquendo peccatore in conſtanti ejus improbitate, quin illum ultra excutiat, & turbet. Hic eſt poſtremus effectus patientiæ Dei: requies horribilis, in qua vivunt impii, ubi ſine ullis ſtimulis indulgent toti cordis ſui pravitati. Erga proximum quidem pleni injuſtitia; erga Deum vero impietate, ſemper noxii in uſu creaturarum, ſi Creatorem cognoſcunt; hunc numquam ex amoris ſenſu, ut illius miſericordiam ament, neque ex timoris ſenſu, ut illius reformident juſtitiam. *Sermo Accademiæ Pariſienſi oblatus anno 1693.*

Quo ſenſu Scriptura dicat a Deo homines excæcari.

Teſtantur alicubi Scripturæ, a Deo homines nonnumquam excæcari; & cæcitatem hanc pœnam eſſe peccati. Quomodo autem hoc fiat aſſerere, myſterium eſt, quod non cognoſcitur; ænigma eſt, cujus ſenſus comprehendi non poteſt, abyſſus, cujus altitudinem ſcrutari non licet. Excæcat Deus Ægypti regem rebellem imperiis ſuis: Ponit Deus mendacii ſpiritum in ore omnium Prophetarum, qui in aula Achab Regis Iſrael verſabantur. Ne dixeritis, verba ad litteram accipientes, Deum ipſum hanc actionem perficere, ut inferat cæcitatem. Haud ita, S. Auguſtinus ait. Deus, qui ipſa veritas eſt, ac bonitas per eſſentiam, nos fallere nequit; & ſi quem excæcat, non agit id hominibus ſuadens improbitatem, ſed renuens peccatoribus gratiam; gratiam, quæ adeo neceſſaria eſt, ut ſine illa ſalus ſperari non poſſit. Hac autem adeo terribili pœna, qua Deus punit apertiſſimam, impudentiſſimamque impietatem, utitur etiam, ut in hoc mundo in falſam pietatem animadvertat. *Tertius Accademiæ ſermo anni 1695.*

In lege nova non ſecus ac in lege Moyſi inveniuntur cæci.

In ſingulos dies terribiles cæcitatis hujus effectus intuemur: Novæ legis Phariſæi funeſtum nobis hujus rei præbent exemplum, cum innituntur fallaci ejus conſcientiæ tranquillitati, quę ne ſuam quidem ſentit calamitatem. Dei judiciis non afficiuntur; tanta eſt eorum præſumptio, ut ſeſe attollant ſuper tonitrua, & fulmina; & ſibimet perſuadent. eo tempore, quo mala obruent impios, hæc ad ſe uſque non perventura. Superba preſumptio! funeſta tranquillitas, quæ illis propitia videtur, & quæ nihilominus fit iiſdem mortalis, eoſdem præcipites dejiciens in malorum omnium graviſſimum. Traducunt ſane vitam ſuam in Sacramentorum frequentia, ſed hic divinus Juſtitiæ ſol, quem adeo frequenter recipiunt, abſcondit illis magis, magiſque lumina ſua: & ipſi mortem in ipſo vitæ fonte recipiunt. Sonitus verbi Dei indeſinenter reſonat in auribus eorum, & hic ſtrepitus efficit illos adhuc magis ſurdos voci interiori, quæ loquitur illis. Quidquid luminum habent illis adfert cæcitatem, & eorum ægritudo eo pernicioſior eſt, quo latentior; & quo magis de perfecta ſanitate gloriantur, eo magis, magiſque morbus eorum ingraveſcit. Verbo; omnes arbores, quas ferunt, & colunt, tanta cura, & induſtria, quantumvis inde ingentes concipiant ſpes, improbos tantum afferent fructus; & planæ omnes, quæ videntur illis adeo ſpecioſæ, & florentes; videlicet actiones hæ, quas ornat virtute aliqua mere exteriori, pares erunt tantummodo quæ in ignem projiciantur. *Sermo Tertius Accademiæ anni 1695.*

Quam deterior ſit ſtatus illius, qui in errore implicitus eſt, quam peccatoris.

Comploratur aliquando ſtatus infelix peccatoris traditi inſanis cupiditatibus ſuis, & quem habituum tyrannis efficit peccati mancipium; hujus lugetur miſeria, ſaluti ejus timetur; ſed ſtatus animæ, quam error fefellit, nonne multo magis collacrymandus eſt? Peccator hic ſaltem ſe aberraſſe novit, & ob oculos habet ſcelerum ſuorum imaginem; & ſi majori cum cognitione peccat, in hoc ipſo minus eſt incorrigibilis. Cæterum vitii faſtidia, virtutis pulchritudo, conſcientiæ ſtimuli, timor judiciorum Dei totidem viæ ſunt, quæ illum revocant ad officium. At hoc non accidit peccatori, qui deerrat, & errorem ſuum non agnoſcit. Omnes hæ viæ illæ præcluſæ ſunt. Sicuti peccat ſine cognitione, peccat etiam, quin id ſibi religioni vertat, & ullis ſtimulis urgeatur. Vermis hic, qui laniat cor improborum, in illius corde quieſcere videtur; & conſcientia, quæ adeo ſalutaris eſt, cum exprobrat malum, ſive in illo ſit decipiens, ſive decepta, relinquit eum in profunda tranquillitate, quæ re nulla turbatur. *Sermo 4. Accademiæ anni 1695.*

Quam difficile ſit mutare cor, cum alteri errori mancipavimus.

Poſtquam falſo in errore ſeſe confirmavit peccator, & auctoritate quadam ſibi comparavit eam tranquillitatem, quæ non ſemper ratione poteſt acquiri; quænam ſpes adeſt futurum ut expergiſcatur, vel cogitet de vitæ ſuæ mutatione? Quibus utetur artibus gratia ad errorem auferendum animæ, in qua altas adeo radices egit? Quo lumine

mine diſſipari poterit cæcitas hominis, qui oculos claudit, & videre non vult? Salutares amaritudines, quibus in Miſericordia ſua Deus adſpergit mundi gaudia, calamitates, ęrumnæ, humiliationes, validæ ad peccatorum converſionem promovendam rationes, inania eſtis pharmaca ægrotanti, qui morbum, quo male torquetur, non ſentiens in funeſta imaginariæ valetudinis idea interit. *Sermo Quartus Accademiæ anni 1695.*

Homo in errore poſitus plus aliis, quam ſibi timet.

Si in funeſto hoc cæcitatis ſtatu aliquis timor eſt, ille numquam ſibi timet, ſed ſaluti tot miſerorum, qui pereunt, exemplo ſuperbi illius Evangelici Phariſęi. Seipſum a peccatoribus ſeparatum putat, ſibique plaudit, quod Publicano peccatori ſimilis nequaquam ſit. Cum in ipſo præcipitii margine jam jam lapſurus adſtat, pro iis contremiſcit, qui in tuto verſantur, & viatori ſimilis, qui dum ſæva irruit procella in navi ſomno captus ac morti proximus in utramque aurem ſtertit, ſibique in ſomnis videtur de portu proſpicere alienas rates ventis, ac tempeſtatibus agitari; talis in fallaci ſecuritate ſua peccator, tamquam ſomniator credit ſe videre ventis cupiditatum jactari peccatores qui fortaſſe magis, quam ille, abſunt a naufragio. *Ex eodem ſermone.*

Nullus eſt animæ morbus periculoſior cæcitate.

Ex omnibus animæ morbis, nullus eſt magis lethalis, & ex quo minus illa convaleſcat, quam cęcitas. Cum non videat periculum, non quęrit medicinam. Sed quot lapſibus obnoxius non eſt cæcus? Et dum vivit, ambulans per viam præruptam, ubi circumundique ſexcenta poſita ſunt offendicula, quoties impinget, quoties periculum erit, ut labatur, & corruat? Cæcitas Spiritualis, tam eſt cæcitas cordis, quam mentis. Cordis corruptio principium eſt hujus morbi, quæ ſtatim ſeſe menti communicat. De animę cęcitate diſſerendum eſt, uti de cæcitate corporis; ſimilis cauſa, ſimilia ſymptomata, pares effectus. Affluentia humorum acrium, & malignorum primum viſionis organum atterit, mox prorſus extinguit. Ceſſant cum viſione dolores; nullus amplius ſentitur dolor, ſed nihil videtur amplius. Cordis corruptio ocyus gignit denſas malignaſque nebulas, quæ oculis animæ caliginem adſpergunt. Nequicquam mones, clamas, ingentem fragorem edis; anima in quodam lethargico ſopore inſepulta eſt. *P. Croiſet in Excercitationibus Aſceticis. Tomo 2.*

Quam terribilis ſit obduratorum mors & cor. *Eccli. 3.* *Zach. 7.*

Cor durum in ipſo vitæ exitu malis obrutum iri, teſtatur Eccleſiaſticus: *Cor durum male habebit in noviſſimo.* Loquitur autem de cordibus inobedientibus, rebellibus, quæ flecti non poſſunt. Cor ſuum adamantinum fecerunt, ne legem audiant, quidam Propheta ait: Ve vobis, ſi vobis hujuſmodi cor ineſſet; optandum eſt, ut vobiſmetipſis viſcera ſcindere liceret, ad illud evellendum. Si vobis non eſt cor ſatis docile, rogate Deum, ut ſaltem flexile ſit; petite ab illo cor carneum, cor humanum, pro lapideo, æneoque; atque tunc per Prophetam reſpondet ille, auferam illis cor lapideum, & dabo eis cor carneum. Sed quænam mala obruent durum cor eorum in vitæ hujus exitu? Hoc mortem non ea animi ęquitate, ac ſubmiſſione recipiet, qua eſt recipienda. Dum viveret numquam aſſuevit divinæ obſequi voluntati; quomodonam illi obſequatur in morte? Modo videtur illi adeo difficile hoc facere, cum omnia facilia ſint: quam autem difficultatem non reperiet in eo, quod homini difficillimum eſt, quale eſt mori? Neceſſe profecto erit illi mortis ictum recipere; ſed hæc eadem neceſſitas illi negotium faceſſet, eiſque afferet tumultum, atque vaſtitatem. Hoc autem in ſtatu poteſtne ille cogitare de ſalute animæ ſuę? poteſtne elicere illos actus, qui ex moriente Chriſtiano requiruntur? Hęc ratio eſt, propter quam cor durum male habebit in noviſſimo; quæ quidem ratio ex hominis parte deſumpta eſt. Ratio altera ex Dei parte deſumpta, hęc eſt; ad cor durum ſperandum, atque infringendum nequaquam ſatis eſſe, Deum communibus uti mediis; ad id opus eſſet, ut loquitur Jeremias, ut eum percuteret tamquam malleus conterens petras, & præſentiſſimis remediis uteretur. At Deus non conſuevit hoc agere in gratiam illius, qui ſemet ſemper mandatis illius rebellem oſtendit. Cum iniquo iniquus eris, dicebat David; hoc eſt, ex eruditi cujuſdam Interpretis ſententia, durius ages cum eo, qui durus eſt corde. Itaque cor durum malis obruetur eo quod, communes tantum illi ſuppetent gratię, tunc cum maxime non vulgaribus indigebit. Dominus, verum eſt, adeo validis uti poteſt gratiis, ut obſtinatiſſimus quilibet peccator, licet liberam habeat reſiſtendi facultatem, minime cedat: Ita eſt; poteſt Deus cor quantumvis duriſſimum flectere; verum numquid hoc ille facere tenetur? Veſtra igitur quam maxime refert, ut cor veſtrum obdureſcat, ſed quomodonam indureſcit? Paulatim, & per gradus. Ex aqua fit nix, ex nive glacies, ut Eccleſiaſticus inquit, in duriſſimam cryſtallum convertitur. *P. Segneri in Meditationibus ſuis tomo. 3.* *Eccli. 43.*

Peccator excæcatus cogit Deum ut recedat.

Non equidem aſſero, hominem qui frequentibus lapſibus, iteratiſque ſceleribus Dei Spiritum coegit, ut recederet, nullis amplius gratiis donari. Satis quidem, & ſufficientes, & remotas, & generales habet; ſed quod pertinet ad gratias validas, electas, victrices, quæ certiſſime operantur, licet non ſine hominis voluntate, effectus ſuos; heu! quam metuendum eſt, ne has ille recipiat, vel non recipiat noviſſimam earum, quæ illius felicitatem conſtituent; quam timendum eſt, ne poſtquam Domino fuerit rebellis; ejuſque verbum contempſerit, peccati ſui pœnas luat, ac de viventium libro deleatur! *Quoniam adverſus Dominum rebellis fuit, verbum enim Domini contempſit, idcirco delebitur, & portabit iniquitatem ſuam.* *Num. 15.*

Peccator cæcus contremiſcere debet propter Domini minas.

Tribuite, quemcumque volueritis ſenſum, vel lenimentum verbis iſtis; ſemper mihi terribilia videbuntur, ac præ timore, ne ad me quoque referantur, ingemiſcam coram Deo, ejulatibus clamoribuſque Cœlum obtundens, & cum trepidatione dicens: *Ne projicias me a facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.* *Pſal. 50.* In me quidem alio quovis modo animadverte; ecce bona mea, hæc tibi derelinquo, ecce honorem meum, permitte, ut mihi auferatur, ecce corpus meum, illud ſæviſſimis percute plagis, ut olim Job; ſed parce animę meæ, ut animæ illius peperciſti: licet enim optima fruar corporis valetudine, præſtanti nominis gloria, honoribus, opibus, quid mihi eſſet non habenti Spiritum tuum, & quid de me fieret, ſi per ſubtractionem gratiarum tuarum, quam nimis, ſuperque meritus ſum, in finalem impœnitentiam proruerem? *Ex moralibus Sermonibus.*

Peccator excæcatus per gratiarum ſubtractionem ruit in impœnitentiam.

Nihil finali impœnitentia terribilius; hæc tamen funeſta eſt animæ reprobatę pœna, a qua Spiritus Sanctus recedere coactus fuit. Cupiditatum ſuarum vi rapta, in vitiorum cœno immerſa per habitum mordicus inhærentem, in ſcelerum omnium tabe inſepulta, reputans ea ſibi licere omnia, quæ ſibi placent, promiſcue illa ſectatur, quibus fruitur, nil ſollicita, utrum vetita ſint, necne. Dicit quidquid ſibi in mentem venit, omnia intuetur, quæ ſeſe oculis ejus offerunt, & quin vel hominum ratio, vel divinorum judiciorum metus illam deterreat, cęce in preces ruit. Hujuſmodi eſt, S. Bernardus inquit, ſtatus hominis infidelis Spiritui Sancto; & de hoc quodammodo judicium ferendum eſt facta comparatione cum illo, qui Spiritum hunc recepit, eique per charitatem adhærens ſemper tuetur. Uterque currunt atque feſtinant, cum hoc tamen diſcrimine, quod alter quidem alacriter, ac celeriter in via virtutis, & vitę, alter vero in via peccati, mortiſque percurrit. *Ad mortem hic; ad vitam ille feſtinat. Ex Sermonibus Moralibus de Myſteriis Domini Noſtri.*

Qui cæci ſunt ex mera nequitia peccant.

Heu! quot videmus mortales, qui peccata ſua norunt, eorumque funeſtos exitus præſentiunt, & nihilominus in illa pręcipites ruunt? Hos quidem neque fallit illuſio, neque infirmitas ſternit, neque ſimplicitas impedit, neque temeritas in præceps agit, neque tentationum vehementia trahit, neque præſtigia ſatanæ faſcinant; vident abyſſum, ac ſeſe in illam conjiciunt; norunt infirmitates ſuas, neque inde quærunt emergere; callidi, ſapientes, vigilantes in ceteris, in hoc ſtupidi ſunt, oſcitantes, ſemiſopiti. Peccant ſine metu, ſine conſcientię latratibus, ſine exemplo: ſunt tentatores ſui, corruptores ſui, dęmones ſui; & in hoc ſita eſt mera illorum nequitia, quę caracter eſt peccati contra Deum, & indicium animę, a qua receſſit Deus. *Ibidem.*

Ex mera nequitia peccantes ſunt dæmonibus ſimiles.

Ecce cur JESUS CHRISTUS de Juda loquens, qui licet ab illo tot viderat patrari miracula, & tot gratiis fuerat cumulatus, nihilominus conſilium inierat illum tradendi in manus inimicorum ejus. Non ait, Dęmonem illi immiſiſſe adeo tetri criminis mentem, ſed ipſum Judam Dęmonem eſſe inquit. *Unus ex vobis Diabolus eſt.* *Joan. 6.* Qui ex mera peccant nequitia in ſtatu longe alio verſantur ab iis, qui peccant vel ex ignorantia, vel ex infirmitate.

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.